



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacer Recessus Sive Exercitia Spiritualia Ad Mentem &  
Methodum S. P. Ignatii**

**Nepveu, François**

**Ingolstadii, 1701**

**VD18 12305014**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59599)





62


L. 1

Th. 4462.

14.









Ant: Palestra del :

G. H. Schifflin Sc.

SACER  
RECESSUS,

SIVE  
EXERCITIA SPIRITUALIA

*Ad*

Mentem & Methodum  
S. P. IGNATII,

*Authore*

R. P. FRANCISCO NEPVEU

*E Societate JESU*

Gallicè primùm edita Pa-  
risiis Anno 1691, & subinde

*recusa,*

*Nunc etiam*

Latinitate donata

*Ab alio*

*Ejusdem Societatis Sacerdote.*

*Cum Privilegio Sac. Cesar. Majestatis*

*& Facultate Superiorum.*

INGOLSTADII,

Sumptibus JOANNIS ANDREÆ


De La HAYE Bibl. Acad.

---

*Formis Thomæ Grass, Typog. Acaph*

ANNO MDCCI.


*Coll. Schol. Jesu. Paderb.  
1723. 30. 5.*



§

**S**

d  
b  
a  
b  
p  
n  
n  
e  
r  
t  
S  
v  
d  
e  
t  
p  
f  
f  
n  
d



## PRÆFATIO.

**N**on est mihi animus ,  
commoda & fructus ,  
quos SacerRecessus pa-  
rit, hinc multis commen-  
dare. Hoc enim esset vino vendi-  
bili hederam suspendere, & quod  
alii jam longis solidisque discursi-  
bus abundè præstiterunt, inutili o-  
perâ recoquere. Præterquam quòd  
non præfatione, sed integro volu-  
mine opus esset, si vellem omnia  
elogia, quæ tam sancta praxis me-  
retur, complecti. Ex omnibus me-  
thodis, quibus, dictante Spiritu  
Sancto, viri Apostolici animas in  
viam salutis deduxerunt, nulla hoc,  
de quo loquimur, Sacro Recessu  
efficacior, securior nulla dici po-  
test; sive de peccatoribus à semita  
perditionis ad DEUM revocandis;  
sive de justis in recto tramite con-  
firmandis, & ad summum Christia-  
næ Perfectionis apicem provehen-  
dis agatur.

P R Æ F A T I O.

S. Ignatius, qui fuit auctor admirabilis hujus methodi, primus tam felici successu illam adhibuit, ut quibusdam in locis Præstigiator audiret, & haberetur; tot hac viâ ad DEUM homines attraxit. Paulò post solenniter, & Apostolico Diplomate à Summo Pontifice fuit approbata, qui etiam Indulgentias plenarias iis concessit, qui sacra hæc Exercitia obirent. Omnes ferè Sancti postremis his sæculis illorum usum suò exemplò roborârunt. Huic divino artificio S. Franciscus Xaverius, S. Carolus Borromæus, S. Franciscus Salesius suam conversionem, & tantum in virtutibus progressum se debere, fassi sunt. P. Ludovicus Granatensis, vir ille rerum cœlestium cognitione tantopere illustratus, sæpius testatus est, vitam suam minimè suffecturam, ut lumina, à DEO sibi in sacro Recessu more prorsus insolito immissa & communicata, describeret. Integræ denique Religiosæ Familiæ,

P R Æ F A T I O.

liæ, paulò meliùs instructæ, hanc sibi inviolabilem legem statuerunt, ut singulis annis minimum octo vel decem dies sacro huic Exercitio impenderent. Tot peccatores repentina & miraculosa metamorphosi conversi, tot pravæ Civitatum consuetudines abolitæ, tot Religiosæ Domus aut stabilitæ aut reformatæ, tot tepidi & ignavi Christiani ex mortifero suo languore erecti, & in fervidos DEI servos mutati, satis superq; demonstrant, quantam utilitatem, quantumque profectum hæc expendendis Evangelii veritatibus consecrata solitudo progignat.

Ipsa quoque experientia de præclaris fructibus, à Christiana hac praxi productis, fecit, ut in pluribus Galliæ urbibus certæ pro Sacro hoc Recessu domus constituerentur, in quarum alias Viri, alias Fœminæ reciperentur: nec sine ingenti admiratione spectari potest fructus, quem illic Divina Gratia pro-

P R Æ F A T I O.

fert, præcipuè in Britannia, ubi Deus videtur singularem hujusmodi domiciliis benedictionem imper-  
tiisse. Tantus enim est confluxus, ut in una eadèmq; civitate, uno eodèmq; anno, propè quinque millia hominum concurrerint, in hac sacra solitudine collecturi Cœleste Manna, quod Divina Misericordia depluit. Hanc ob causam à pluribus piæ Meditationes in publicum sparsæ sunt, ad obeunda spiritualia Exercitia perquam utiles, quibus illi uti possent, qui ad sacrum Recessum singulari instinctu vocantur. Hoc quoque me impulit, ut hasce meas, præsentis libello comprehensas, in lucem proferrem, quas spero fructum, quem desidero, laturas, cum perquam exactè methodo S. Ignatii inhæserim, à qua nonnulli, ut mihi quidem videtur, nimis faciliè defle-  
tunt. Verùm cum hodie utilissimus iste Recessus, cui antehac integer mensis dabatur, ultra octo  
aut

## P R Æ F A T I O.

aut decem dies non extendatur, necesse fuit hebdomades constringere, easque non juxta numerum dierum, sed juxta subjectæ materiæ, quam meditari volumus, differentiam distinguere. In prima hebdomade considerandus proponitur homini ultimus finis, propter quem creatus est; obstacula, quæ ab illo consequendo ipsum impediunt; & maxima illorum miseria, qui ab illo recedunt. In secunda exponitur vita Christi cum privata tum publica, & peccatori Dux itineris assignatur, qui eum à suis aberrationibus reducat. In tertia homo animatur ad sustinendos pœnitentiæ labores, repræsentatâ ipsi vitâ Servatoris nostri, doloribus & ærumnis plenâ. In quarta denique erigitur ipsius spes, inflammatur ipsius charitas consideratione gloriosorum Christi Mysteriorum, & contemplatione Divinarum Perfectionum. Pronum erit advertere artificium hujus methodi ex

## P R Æ F A T I O:

notis, quas feci, ut justum meditationum inter se connexarum ordinem demonstrarem: qui majorem tamen notitiam desiderat, consulat vitam S. P. Ignatii, ante paucos annos à P. Bouhours eleganter descriptam, in qua ordo & propositum Spiritualium Exercitiorum pulcherrimè declaratur.

Dedi pro singulis diebus, more jam usitato, tres Meditationes, quas conatus sum ita proponere, ut quaedam inter se unitate ad eundem finem referrentur, quia animo, diversitate materiæ minùs dissipato, veritates, quæ meditando expenduntur, faciliùs imprimuntur. Videbuntur fortè quibusdam hæ Meditationes nonnihil longæ; sed, si placet, poterunt uni tantùm puncto immorari. Cæterùm nihil, arbitror, in hac longitudine reperietur inutile, nihil, quod à proposito scopo aberret. Præterea sumus à natura diversimode comparati: quod uni placet, alteri displicet; ideò

P R Æ F A T I O.

ideò abundantia non oberit, quin electioni locum dabit. Adde, plures esse ad orationem non admodum expeditos, qui volent materiam paulò magis extensam & digestam; cùm enim se ipsos occupare non possint, gratum erit Meditationes legere. His ut negotium adhuc facilius redderem, credidi, omittenda non esse colloquia cum Christo Domino, nec affectus, qui fluxu quodã naturali sequuntur ex veritatibus meditatione bene comprehensis. Id certè magno auxilio erit incipientibus, proventioribus autem minimè incommodum; quia, uti tempore desolationis & ariditatis usui esse possunt, ita, cùm suavior aura aspiraverit, facilè quis illa præterire, & Spiritûs Sancti ductû sequi poterit.

Meditationibus subjunxi quasdam aut ex Sacra Scriptura, aut ex Sanctis Patribus sententias, partim ut intra diem piis aspirationibus fomitem subministrarent, partim ut

## P R Æ F A T I O.

in memoriam revocarent lumina,  
quæ quis recepit, aut proposita bo-  
na, quæ quis formavit.

Denique cuique dierum suam  
tribui Considerationem, & sacram  
lectionem, ita præscribente, in sua  
Methodo, S.P. Ignatiô. Considera-  
tiones versantur circa principales  
vitæ Christianæ actiones & obliga-  
tiones. Imploratâ igitur è Cœlo  
ope, legendæ sunt magna cum at-  
tentione, & reflexa semper in se  
ipsum cogitatione. Tum petenda  
à DEO venia defectuum, quos quis  
à se commissos deprehendit. Dein-  
de componenda vivendi ratio jux-  
ta ideam in Consideratione depi-  
ctam. Lectio sacra semper respon-  
det materiæ Meditationum. De-  
sumitur ex Sacra Scriptura, ex li-  
bello de Imitatione Christi, ex P.  
Ludov. Granatensi, & P. Alphon-  
so Rodriquez; quia hi libri præ aliis  
& communiores sunt & meliores.

Dicendum nunc est aliquid de  
dispositionib<sup>9</sup>, quas quis ad sacrum

Re-

P R Æ F A T I O.

Recessum afferre debet. Reducuntur autem ad quinque. Prima est animus generosus, & efficax voluntas seriò cogitandi de sua salute, & rectè obeundi sacra Exercitia, contra quascunque difficultates, quæ moveri possunt sive à dæmone, sive ab hominibus, sive à naturali repugnantia, qua quis à solitudine abhorret, sive à molestia, qua quis se ipsum ingreditur, ne misérias suas & tot justipudoris argumenta intueri cogatur. Secunda, Humilis de se ipso diffidentia, suffulta tamen à firma in DEUM fiducia, qua quis penitus sibi persuadet, opus suæ salutis principaliter esse opus DEI, sine quo homo prorsus nihil potest; sed quia DEUS nobis inspiravit desiderium sacræ hujus Solitudinis, non negabit nobis gratias necessarias, quibus desideratū in illa profectum hauriamus; & quia ipse ovem errantem, cum à se fugeret, insecutus est, non repellet animam, quæ in

P R Æ F A T I O.

veritate ad ipsum revertitur, & neglectis omnibus aliis, ipsum solum quærit. Tertia, Cor liberale erga DEUM, promptum & paratum, depositâ rerum humanarum curâ, omnia ipsi cedere, ut possit magna animi libertate cum S. Paulo, exclamare: *Domine, quid me vis facere?* aut cum Davide: *Paratum cor meum, DEUS, paratum cor meum.* Quarta, Magna cura observandi ordinem & regulas Exercitiorum, nihil eorum parvi pendendo, quæ ad finem tanti momenti referuntur, qui est æterna salus; cum certum omnino haberi debeat, ab exacta horum observatione, magnam partem, dependere fructum Sacri Recessûs. Ultima denique dispositio est perfecta solitudo tam interna quàm externa. Hæc consistit in recessu ab omni societate & commercio humano, atque in lege sancta & inviolabili silentii, quod cuilibet vel maximè custodiendum & observandum est. Illa  
ar-


P R Æ F A T I O.

arctam imponit sensibus custodiã, quos ut collectos teneat, etiam in locum obscurum se recipit, maximè quando meditationes primæ hebdomadæ peraguntur; tum enim omni cura & diligentia rerum creatarum imagines, negotia temporalia, & omnes illæ cogitationes ex animo excludendæ sunt, quæ ad salutem æternam aut non dirigunt, aut non diriguntur; ita ut homo in sacro suo Recessu non aliter se gerat, ac si præter DEUM & ipsum nemo omnium in Mundo esset. Sic enim vel maximè dispositus & aptus erit ad recipiendas Divinæ gratiæ operationes: & DEUS implebit promissum, quod per Prophetam fecit, quòd se communicare velit animæ pœnitenti, postquam illam in solitudinem deduxerit, & ita ei ad cor loqui, ut ipsam ab errore suo retrahat, viamque salutis & perfectionis aperiat; qui est unicus sacrorum Exercitiorum

finis.

) ( 7

AP-



PRIVILEGIUM  
ET FACULTAS  
R. P. PROVINCIALIS.

*C*um Sacrae Caesaræ Majestatis  
decretò omnibus & singulis Ty-  
pographis, Bibliopolis, ac aliis quã-  
cunque librariam negotiationem  
exercentibus seriò firmitérque in-  
hibeatur, ne quisquam ullos libros  
à nostris Patribus hæctenus editos,  
aut imposterum edendos, intra Sa-  
cri Romani Imperii, Regnorúm-  
que & Dominiorum sua Caesaræ  
Majestatis hereditariorum fines,  
simili vel alio characteris genere  
aut forma, sive in toto, sive in par-  
te recudere, vel aliò recudendos  
mittere, vel alibi etiam impres-  
sos adducere, vendere, & distra-  
here, clam seu palàm, citra judi-  
cium ac testimonium supradicto-  
rum Patrum, audeat vel præsu-  
mat; Ego Martinus Müller Socie-  
tatis JESU per Germaniam supe-  
ri-



riorem Præpositus Provincialis (po-  
testate mihi ad id facta ab admo-  
dum Reverendo Patre Nostro Thyrso  
Gonzalez) concedo Domino Joanni  
Andrea De LaHaye Bibliopole Aca-  
demico Ingolstadiensi, ut typis excu-  
dere, excusumque distrabere li-  
berè possit (nemine jus ejus inver-  
tente) Opusculum, cui titulus est,  
Sacer Recessus, sive Exercitia spi-  
ritualia ad mentem & methodum  
S. P. Ignatii &c. à R. P. FRANCISCO  
NEPVEU Societatis JESU Gal-  
licè conscriptum, nunc autem ab  
alio ejusdem Societatis Patre La-  
tinè redditum, & à deputatis ad  
hoc Censoribus lectum & approba-  
tum. In quorum fidem hoc ei te-  
stimonium dari curavimus, manus  
Sigillòque nostro communitum.  
Landspergæ 12. Septembris Anno  
1700.

Locus ( † ) Sigilli

MARTINUS  
MÜLLER.

INDEX  
MEDITATIONUM  
ET  
CONSIDERATIONUM.

---

DIES PRIMVS.

De Fine Hominis.

MEDITATIO I.

*Quem ob finem homo creatus  
sit?* pag. 1.

MEDITATIO II.

*De motivis, quæ nos impellunt,  
ut ad ultimum nostrum finem ter-  
damus; & de mediis quibus ad e-  
um consequendum iuvamur.* 12.

MEDITATIO III.

*De Fine Statûs Religiosi.* 22.

CONSIDERATIO I.

*De Oratione Mentali & Voca-  
li.* 31.

DIES SECVNDVS.

*De Peccatis, sive de obstaculis,  
quæ à consequendo nostro ulti-  
mo fine nos impediunt.*

ME.

## MEDITATIO IV.

*De tribus peccatis, sive de peccato mortali considerato in suis effectibus.* 40.

## MEDITATIO V.

*De peccatis nostris propriis.* 49.

## MEDITATIO VI.

*De obstaculis, quæ nos aliquo modo avertunt à nostro fine, sive de peccato veniali.* 59.

## CONSIDERATIO II.

*De Examine Conscientiæ Generali, & Particulari.* 68.

## DIES TERTIVS.

*De miseriis, quibus se illi implicent, qui à suo fine deflectunt.*

## MEDITATIO VII.

*De Morte.* 77.

## MEDITATIO VIII.

*De diversa dispositione animam tepidam inter & ferventem, cum necesse erit coram Deo comparere; sive de Judicio particulari.* 86.

## MEDITATIO IX.

*De Inferno.* 94.

CON-

CONSIDERATIO III.

*De Confessione.*

103.

DIES QVARTVS.

De reditu animæ ad DEUM per  
pœnitentiam.

MEDITATIO X.

*De necessitate agenda pœniten-  
tia, ut quis revertatur ad DE-  
UM.*

115.

MEDITATIO XI.

*Pœnitentiam non tantum ma-  
gnis peccatoribus, sed etiam animis  
repidis esse necessariam.*

122.

MEDITATIO XII.

*De misericordia & bonitate,  
qua DEUS peccatorem quarit, &  
recipit ad pœnitentiam; qua ser-  
viunt pro motivo ad contritionem  
& perfectam pœnitentiam.*

132.

CONSIDERATIO IV.

*De S. Communionem.*

140.

DIES QVINTVS.

De Duce, qui nos in viam bonam  
reducatur.

ME-

MEDITATIO XIII.

*De Regno Christi, & nostra ob-  
ligatione ipsum sequendi & imi-  
tandi.* 152.

MEDITATIO XIV.

*De humilitate JESU Christi in  
sua Incarnatione.* 160.

MEDITATIO XV.

*De paupertate Christi in sua  
Nativitate.* 170.

CONSIDERATIO V.

*De Missa.* 179.

DIES SEXTVS.

Continuatio Virtutum vitæ laten-  
tis JESU Christi.

MEDITATIO XVI.

*De Circumcisione.* 186.

MEDITATIO XVII.

*De fuga JESU Christi in Ægy-  
ptum, aut de perfecta resignatione  
in Providentiam Divinam.* 194.

MEDITATIO XVIII.

*De Obedientia Christi occultè  
viventis.* 206.

CONSIDERATIO VI.

*De ordine & constitutione diei,*  
&

*Et de actionibus Christiani hominis.*

215.

## DIES SEPTIMVS.

De obligatione, qua tenemur nos declarare pro Christo, & imitari ejus vitam publicam.

### MEDITATIO XIX.

*De duobus vexillis, aut de obligatione nos aperte declarandi pro JESU Christo.*

226.

### MEDITATIO XX.

*De tribus gradibus Humilitatis.*

234.

### MEDITATIO XXI.

*De tribus classibus hominum qui omnes cupiunt salvi fieri, & de diversa illorum ad hunc finem preparatione.*

242.

### CONSIDERATIO VII.

*De Electione.*

253.

## DIES OCTAVVS.

De Virtutibus vitæ publicæ Christi, quas imitari debemus.

ME-

MEDITATIO XXII.

*De puritate Intentionis, sive de  
Zelo Divina gloria.* 263.

MEDITATIO XXIII.

*De Charitate Proximi.* 276.

MEDITATIO XXIV.

*De Mansuetudine.* 287.

CONSIDERATIO VIII.

*De cura, qua quis affectum in  
se dominantem, sive vitium par-  
ticulare expugnare debet.* 298.

DIES NONVS.

De Passione D. N. JESU Christi.

MEDITATIO XXV.

*De Passione in genere, ejusque  
circumstantiis per modum Parabo-  
lae explicatis.* 311.

MEDITATIO XXVI.

*De doloribus internis JESU  
Christi in sua Passione.* 319.

MEDITATIO XXVII.

*De doloribus externis JESU  
Christi in sua Passione.* 326.

CON-

CONSIDERATIO IX.

*De Statu & Conditione cujusque  
hominis.* 336.

DIES DECIMVS.

De Vita gloriosa JESU Christi, &  
de fine Exercitiorum.

MEDITATIO XXVIII.

*De Resurrectione JESU Chri-  
sti.* 343.

MEDITATIO XXIX.

*De Ascensione J. C.* 353.

MEDITATIO XXX.

*De Amore DEI.* 363.

CONSIDERATIO X.

*De Conversatione, Visitationi-  
bus, & Recreationibus.* 372.

ADMONITIO

*Pro conservando fructu ex sacris  
Exercitiis collecto.* 381.

DIES



DIES PRIMUS.

MEDITATIO I.

Quem ob finem homo  
creatus sit.

PUNCTUM I.

*Homo creatus est, ut ser-  
viam Deo.*

**C**onsidera : Deum, qui te non  
minùs, ac infinitam aliarum  
creaturarum multitudinem, po-  
tuisset intra nihili tenebras relin-  
quere, ab omni retrò æternitate  
statuisse, te ex nihilo evocare, &  
ad sui imaginem condere, id quod  
re ipsâ etiam in tempore præstitit,  
nullam aliam ob causam, quàm ut  
ipsum glorificares, ipsum cogno-  
sceres, ipsum amares, ipsi servires,  
ejusque mandata observares. Quæ  
A  
verba

verba eundem ferè sensum generant. Cognoscendo enim, & amando, Deum glorificamus; serviendo, nostrum erga ipsum testamur amorem; ipsi autem servimus, cum præceptis ejus obtemperamus.

Hic igitur est finis, ob quem à Deo creati, & in hoc Mundi theatro positi sumus. Hoc est unicum illud *Necessarium*, de quo Filius DEI in Evangelio loquitur: *Porro unum est necessarium*. Lucæ 10. v. 24. hoc est verè, & propriè illud, teste Sapiente, quod hominem efficit, totumque absolvit: *Hoc est omnis homo*. Eccl. is 12. v. 13. quasi dicere vellet: homini, si vitæ morumque ordinem attendamus, tam necessarium esse, Deo servire, & in illum, velut centrum, & ultimum suum finem ferri; quàm ipsi infinitum, innatumque est, corpus habere, & animam, si naturalem ejus structuram, partiumque compagem spectemus. Sicut enim

DEUS

DEUS hominem formare non potest, quin ipsum ex corpore, & anima componat, ita sanè fieri non potest, ut homo sit, qui non, hoc ipso nomine, obligetur ad DEUM, tanquam supremum, ultimúmque suum finem eniti. Pari namque necessitate DEUS & ultimus noster Finis est, & primum Principium, ita ut, qui ad DEUM, velut ultimum suum finem, non continuo aspirat, non homo, sed umbra, & spectrum hominis, appellandus sit. Cùm talis, in vitæ humanæ, morúmque usu, non minoris admirationis monstrum, prodigiúmque æstimari debeat, quàm intra consuetos naturæ limites censetur esse ignis, qui non calefaceret; Sol, qui non luceret. Nec enim ignis ad calefaciendum, nec Sol ad illuminandum, magis conditi, ordinatíque sunt, quàm homo ad glorificandum DEUM, eique serviendum: *Hoc est omnis homo.* Solum inter utrumque hoc discrimen

intercedit, quòd, cùm homo libertate, & ratione præditus sit, Deus voluerit ipsum liberè, & sponte in finem suum tendere, hoc est, modò, & motu, qui & ipsius naturæ conformior, & DEO gloriosior esset. Hoc igitur est illud *unicum*, & commune omnibus negotium, quod universo Mundo curandum, agendumque incumbit. Hoc negotium agere debent Reges, dum Regnorum gubernacula versant; hoc Sacri Præsules, dum Ecclesiis præfunt, & Diocesibus administrant; hoc Duces, & milites, dum bella gerunt; hoc Mercatores, dum commercia exercent; hoc Fabri, & Artifices, dum officinas animant, & fabrilia tractant. Minimè necesse est, hominem esse Regem, esse Antistitem, esse Consullem, Mercatorem, Militem, Artificem. Sed unicum, & summè Necessarium est, ut seruiat DEO: *Porro unum est necessarium.* Ad hoc perpetuò mentem, & animum ad-

advertere debemus. Hoc, oportet, ut sit centrum nostrum, ad quod omnes vitæ lineas ducamus; scopus, ad quem omnes curas dirigamus; meta, & finis, ad quem omnes nostras actiones referamus.

Verùm, Domine, cogor, pro dolor! non minori rubore, quàm veritate fateri: hoc unum esse, quod huc usque, animò ad alia, atque alia applicatò, unicè neglexi. Ut omnia alia cogitarem, nec tempus, nec otium mihi defuit; ut Te amarem, Tibique servirem, utrumque defuit. Nullus unquam debuisset fuisse vitæ meæ actus, motus nullus, qui non ad Te collimaret; & ego nescio, an ullus unquam fuerit intra omnem vitæ meæ periodum, quem propter Te solum elicuerim. Interea reliqua omnia in ventum, & fumum evanescent, vanitas sunt, puerorum crepundia sunt, quæ nihil penitus utilitatis afferunt. Ita, Domine,

ita omnino, percipio: omnia illa, quæ in Mundo magni ponderis negotia habentur; varias illas, & implexas machinationes; quæstuosas illas negotiationes; vasta illa, & ardui moliminis confilia nihil, nisi puras putas esse nugas: *Majorum nuga negotia vocantur.* Sed hæ ipsæ nugæ mentem excecant, & mirò fascino cor nostrum implicant: *fascinatiō nugacitatis obscurat bona.* Sap. 4. v. 12. Tu solus, Domine, hæc incantamenta tollere, atque efficere poteris, ut, quod huc usque aut non credidisse, aut saltem non satis apprehendisse videor, deinceps agnoscam: me neutiquam à Te ideo fuisse creatum, ut voluptatibus corporis fruam; ut magnam mihi scientiam comparem; ut ad altos honoris, & illustrium munerum, gradus elucter, & magni Nominis, & estimationis umbram aucuper. Futilia hæc sunt, vana, imò & perniosa sunt, nisi ad unicum illud *necessa.*

*cessarium* revocentur, quod est,  
*glorificare Te, & Tibi servire.*

Ah! Domine, video miseriam,  
& cœcitatē meam, quam coram  
Te, magno pudoris, & doloris  
sensu, deploro, spem tamen con-  
cipio maximam: Te, sicut errores  
meos, quibus à recto tramite de-  
flexi, in hanc usque horam, tanta  
cum patientia sustinuiſti, ita pari  
bonitate eosdem mihi condona-  
turum.

## PUNCTUM II.

*Homo creatus est, ut salvus  
fiat.*

CONSIDERA: DEUM, qui ex sin-  
gulari prorsus bonitate, suam  
gloriam, & honorem, cum nostris  
commodis voluit esse conjun-  
ctum, etiam voluisse, ut eodem  
studiô, quo ipsi servimus, nostram  
quoque procuraremus, & opera-  
remur salutem. Hic est alter ho-  
minis finis, aut potius unus idem-  
que, quantum nos respicit. Crea-

ti igitur sumus, ut salvi fiamus, hoc est, ut Inferni, & æternæ damnationis effugiamus supplicia, atque ita Paradisi gloriam, æternæque felicitatis assequamur coronam. Ecce! iterum unicū illud necessarium, de quo Filius DEI loquitur: *Porro unum est necessarium.* Ecce! grande illud negotium, quod ipse tantopere nobis commendat, verbis illis longè pulcherrimis, quæ semper in oculis, atque in ipso etiam cordis nostri centro insculpta gerere deberemus: *Quid prodest homini, si mundum universum lucratur, anima verò sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. 16. v. 26. quam si semel perdidit, quis immensæ jacturæ pretium reddet? Quæ, ut meliùs intelligas; pone hominem in mortis articulo constitutum, qui summas corraserit divitias, qui omnibus innataverit deliciis, qui ad ipsum gloriæ, & honoris culmen

men evaserit, qui omnia, quæ molitus est, feliciter ad desiderii sui metas propulerit, animæ verò suæ, & salutis æternæ negotium unicè neglexerit. Interroga ipsum in hoc ultimo momento positum, *quid prodest?* Quid tibi nunc profunt congesti tot auri, argentique cumuli? quid tot voluptates? quid tantus nominis splendor? quid tanta magnificentia? *quid prodest?* Hæc omnia præterierunt, & quod ad te attinet, ita se habent, ac si nunquam fuissent. Sed anima tua, quam neglexisti, quam perdidisti, nunquam præteribit. Sed pœnæ, & supplicia, supinæ hujus negligentæ, & funestæ jacturæ tristissimus partus, nunquam præteribunt. Statue, si ita lubet, teipsum in hoc supremo, & formidabili temporis puncto, & , quos tunc formabis, nunc animi sensus concipe de tuis consiliis, & propositis vanitate, & ambitione plenis; de nimia tua sollicitudine, quâ o-

pes congregas, quibus fortunam tuam stabilias, & pinguiorem reddas; & tibi ipsi nunc occine, quod aliquando dices: *quid prodest?* Ipsi Damnatorum Manes ex Inferorum ergastulis huic veritati testimonium ferunt, cum in libro Sapientiae exclamant: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis?* Sap. 5. v. 8. Transierunt omnia illa tanquam umbra. *Ergo erravimus.* præclare omnino concludunt, sed inutiliter, quia nimis tardè. His propositis tenet prorsus consequentia, quam ipsi legitimè deducunt. Sed funesta, quæ inde oriuntur mala, nec reprimere amplius, nec cohibere possunt. Quid tu nunc eliges? visne inauspicatis illorum vestigiis insistere, an multò magis ex ipsorum calamitate, & miseriam sensum fructumque capere?

Ah! Domine, tardè ista quidem, fateor: sed si nimis tardè pro tua,  
mea-

meaque gloriâ; fatis tamen mature, ut de tua misericordia spero, pro mea salute, pro qua comparandâ serîo nunc, & totis viribus incumbam. Hoc erat negotium meum, hoc erat grande negotium meum, hoc erat unicum negotium meum, hoc erat illud negotium, cui soli unicè debebam invigilare. Sed hoc unicum huc usque neglexi, dum tam exiguam animæ meæ curam gessi, ac si non mea, sed bestię, sed alienigenæ cujusdam anima fuisset. Imò ac si nullam animam, vel certè, si aliquam, non nisi ad perdendam, æternisque flammis devovendam, habuissem. quasi verò si illam perderem, non omnia perderem, jacturâ in omnævum irreparabili. Verùm, amantissime DEUS, postquam ex infinita tua misericordia, oculos mihi aperuisti, ut agnoscerem errorem meum, & pericula, in quæ ille me conjecit, spero de eadem misericordia gratiam, quæ mihi neces-

faria est, ut illa possim evadere. Da mihi, Domine, animum, da vires, quibus superare, & percurrere valeam obstacula, quæ aut hostium robur, aut mea mihi opponet imbecillitas. Da, ut potius omnia faciam, omnia feram, omnia perdam, quàm ut me periculo exponam perdendæ animæ meæ in æternum.

*Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est DEUS, sequimini eum. 3. Reg. c. 18.*

*Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. c. 16.*

## MEDITATIO II.

De motivis, quæ nos impellunt, ut ad ultimum nostrum finem tendamus, & de mediis, quibus ad eum consequendum juvamus.

PUN-

## PUNCTUM I.

*De motivis, quibus ad nostrum ultimum finem impellimur.*

**C**onsidera: tria esse principalia motiva, quæ nos impellere debent, ut ad nostrum ultimum finem tendamus. 1. nostra felicitas. 2. gloria nostra. 3. necessitas.

I. Felicitas nostra in hoc consistit, ut DEUM glorificemus, eique serviamus. Sicut enim ipse est naturæ nostræ principium, ita etiam est centrum nostrarum actionum, & terminus nostræ quietis, ac tranquillitatis. Præclare S. Augustinus: *fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Nullus unquam hominum plura, & majora habuit terrenæ felicitatis adjumenta, quæ hominem beatum reddere possent, sive honores, & divitias; sive voluptates, & delicias

A 7 spe-

spec̄tes, ac Regum Sapientissimus Salomon; & tamen coactus est fateri: se nihil quietis, nihil solidæ lætitiæ, sensisse; omnia fuisse inane vanitatis ludibrium. An non hoc ipsum tu quoque millies experta es, Anima mea, in illis rebus, quas immodicò desiderio expetiisti? an contenta fuisti, & te felicem existimasti, cùm illas es assecuta, cùm illis fruereis? Nihil minus: sæpe vix gustaveras, & jam te magna satietas cepit; & quod antea tantopere prensaveras, paulò post justò fastidiò damnasti. Hæc est, mi DEUS, hæc est rerum omnium, quæ extra te sunt, conditio, ut capacitatem humani cordis, quod propter te creatum est, nec implere, nec satiare possint. Hoc quoque benignæ severitatis utilissimum specim̄en est, quòd perituræ voluptatis dulcedini tam salutarem insperferis amaritiam, ut alibi reperire non possimus, quod in te solo querere jubemur.

II. Estne aliquid aut grandius, aut gloriosius, quàm nullum alium sibi habere præfixum finem, aliam occupationem nullam, præter DEUM solum, quem per omnem æternitatem glorifices, hoc est, quem cognoscas, quem ames, cui servias? sicut enim DEUS auctor est omnis magnitudinis, imò, ut rectiùs loquamur, sicut nihil magnum est præter DEUM, *Tu solus altissimus*: ita nihil grande, nihil gloriosum, nisi per ordinem ad ipsum, esse potest. Ex ideo minimus virtutum actus, puta, modestiæ, humilitatis, sui contemptûs, aut alterius cujuscunque boni operis, propter DEUM exercitus, & in DEUM directus, juxta verè Sapientùm, hoc est, Sanctorum Virorum, imò ipsius DEI sententiam, & æstimationem, majus aliquid, illustrius, & pretiosius est, quàm famosa hostium victorum, urbiùmque expugnataram spolia, & Regium subacti integri Imperii trophæum. Et de hac

hac veritate Fides nos instruit, adimittitque omnem dubitandi facultatem. Quid diceres igitur de homine, qui, cum natus factusque esset, ut toti Mundo præesset, neglectâ tam vasti Imperii gubernatione, se non aliter, ac ridiculus ille Imperator, configendis muscis occuparet? an non hunc talem pro infano, omnisque mentis experte teneres?

Ah! Domine, sumusne nos prudentiores? qui, cum ad tam sublimem finem creati simus, distinemur ineptiis, & puerorum nugis delectamur. Castella fabricamus in aëre, & ex luto pinsimus fortunam, quam modicus ventus evertit. venamur vani honoris fumos, qui in momento evanescunt.

III. Tanta nobis necessitas incumbit glorificandi DEUM, ut tam parum nos inde eximere possimus, quam parum penes nos est, efficere, ut cessemus esse creaturæ. Alterutrum necessario, & citra ullam

lam immunitatis spem, nobis agendum est. Laudare, & glorificare debemus DEUM, aut nos lubentes, volentesque submittendo ipsius mandatis; aut nos, licet invitos, subjiciendo pœnis, quas illis dictavit, qui debitam ipsi obedientiam præstare detrectant. Glorificanda omnino est aut infinita ipsius Bonitas, aut Justitia. Vide, quam partem elegeris: vel glorificare DEUM in delitiis Paradisi cum felicissimo illo beatarum Mentium cœtu, ipsum laudando, amando, possidendo, ipsique serviendo, velut trophæum suæ Misericordiæ; vel inter inferni supplicia cum Damnatorum fæce tolerando, patiando, furendo, blasphemando, ipsique serviendo pro victima justæ suæ vindictæ.

Ah! Domine, potestne esse de liberationi locus? Mihi certè deinceps, mi DEUS, nihil ita cordi erit, ac laudare, & extollere misericordias tuas, quarum amabilem vim,

in hoc ipso temporis momento ,  
 sentio , ut illas aliquando benedi-  
 cere , & laudare possim in omnem  
 æternitatem : *Misericordias Domi-  
 ni in æternum cantabo.* Psalm. 88.  
 V. 2.

## PUNCTUM II.

*De mediis , quæ nos ad conse-  
 quendum nostrum ultimum  
 finem juvare possunt.*

**C**onsidera : non satis fuisse DEO,  
 si creâsse te propter se , tanquam  
 ultimum finem tuum ; sed insuper  
 etiam infinitam propè aliarum  
 creaturarum multitudinem , ex so-  
 la , & pura bonitate , & liberalitate  
 sua , ex nihilo , propter te , produ-  
 xisse , ut nempe tibi auxilio essent,  
 quò facilius ad ipsum pervenires.  
 Ex omnibus ne una quidem est ,  
 in se spectata , quæ tibi non suppe-  
 ditet rationem ipsum cognoscendi,  
 motivum ipsum amandi , & medi-  
 um ipsi serviendi.

Verum

Verum malitia, & inordinatio Peccati Originalis per corruptionem, quâ cor hominis infecit, ordinem à DEO stabilitum ita evertit, ut ex creaturis tam pulchris, tam in se innocuis, aliæ evaserint criminosa, ut illicitæ voluptates; aliæ periculosa, ut divitiæ, & amplæ opes; aliæ indifferentes, ut somnus, & sanitas; aliæ ex suâmet indole bonæ, quales illæ sunt, quæ nos ad DEUM promovent. Ut igitur ordo à DEO constitutus, & à peccato everfus, rursus restauretur, primum penitus amputandæ sunt illæ, quas criminosa diximus, quæque viam tendendi ad nostrum finem nobis obstruunt. Deinde ab illis cor nostrum abstrahendum est, quæ nos in periculum aberrandi à nostro scopo conjicere possunt, etsi cæteroquin perquam grata, ac jucunda nobis acciderent. Demum magnô animô illas, quantumvis arduas, & molestas, amplecti debemus, quæ nobis fe-  
rè

rè semper viam ad DEUM sternunt. Denique illis, quæ indifferentes sunt, & ex sua natura nec boni, nec mali rationem habent, indiscriminatim utendum, vel abstinendum est, prout nimirum ad consequendam salutem prodesse, vel obesse possunt; quia cum sint necessariò media, tunc tantùm bona sunt, cum ad obtinendum finem servant. Hoc est breve compendium totius Christianæ Prudentiæ, quod etiam debet esse regula omnium nostrarum actionum.

Heu me! Domine, quam exiguam curam gessi hujus ordinis observandi, tuendique? usus sum tuis donis, ut te offenderem, & creaturis tuis, quæ me ad te ducere debebant, ut magis à te recederem. Invitas coëgi mihi servire servitute ipsi tam ignominiosam, quàm molestam. Coëgi enim illas servire vanitati, cum tamen à te factæ essent, ut me juvarent ad cognoscendam, & aman-

dam

dam veritatem. An non meritus sum, Domine, ut omnes istæ creaturæ, quibus tam indignè abusus sum, in me insurgerent, & se contra me armarent, ulturæ injuriam à me tibi illatam? An non saltem meritus sum, ut illis omnibus jam nunc privarer? Ita sanè iusta hæc pœna est, quam mihi imponas, ut abusum à me commissum punias. Longè absit, ut me inde subducere velim. Imò magni beneficii, & gratiæ loco habebō, si me omnibus creatis privaveris, quæ tu nōsti, mihi periculosa, aut funesta fore, & te à me avertere, aut me à te avellere posse. Emunda cor meum, ut illis, quibus me uti necessitas cogit, affectum non affigat. Dirige ita voluntatem meam, ut illa nec ambiat, nec usurpet, nisi propter te, & quantum me ducunt ad te, qui solus es vera felicitas mea, & ultimus meus finis.

*Quid mihi est in cælo. & à te quid volui super terram? Psal. 72.*

*Ans.*

*Animam DEI capacem; quid-  
quid DEO minus est, occupare po-  
test, implere non potest. S. August.*

## MEDITATIO III.

De fine statûs Religiosi.

### PUNCTUM I.

*Qualis sit iste finis.*

**C**ONSIDERA I. DEUM, postpositô  
innumerabili hominum, nu-  
merô, quos vel Infidelitati, & per-  
fidia, vel Hæresi, & errori, vel  
Mundi periculis miserè implicatos  
reliquit, te ex peculiari affectu,  
& singulari providentiâ elegisse,  
etsi id minimè meritis fueris, imò  
etsi per tua peccata te indignum  
reddideris, te, inquam, elegisse,  
& ad statum Religiosum vocasse.

CONSIDERA II. Sicut illi, qui in  
Mundo vitam degunt, omnem cu-  
ram, & operam eò conferre de-  
bent, ut salvi fiant (hic enim est

ipso-

ipforum finis, quem consequentur, si Deo ferviant, si ipsi obediant, si mandata ejus custodiant, & peccata evitent) ita hominis Religiosi finem esse, omni studiô, & contentione ad sui perfectionem eniti, Christi vestigiis insistere, ejus Consiliis morem gerere, mundo renuntiare, non tantum per verum, solidumque contemptum; hanc enim obligationem, cum omnibus Christi cultoribus communem habet; sed debet re, & opere ipso à mundo divortium facere, & conceptô quodam horrore, omnia illa fastidire, quæ ipse promittit, aut prop<sup>ri</sup>at. Intellige: divitias, voluptates, honores, nominis splendorem, & omnia, quæ propriam voluntatem mulcent, nostrique amorem in nobis fovent, sine minimo erga res creatas, & perituras illecebras affectu. Quin & Paupertatem amplecti, persecutiones, ærumnas, suique despicientiam in votis habere, suâ se

se libertate abdicare, ex alieno arbitrio perpetuò vivere, erumpentes animi motus compescere, sensus, & naturales inclinationes subigere, atque occultam illam propensionem, quâ semper in nostra commoda, & blandientium nobis creaturarum amorem inclinamur, indefessò studiò suppressere debet, ut ita sibi omnino mortuus, vivat Christo, qui pro nobis mortuus est. Dicamus idem paucis: semper moriendo vivere, & vivendo semper mori debet.

Ecce! hic est finis statûs Religiosi: Estne etiam ille, quem tibi hucusque proposuisti? quam curam impendisti, ut quotidie ad perfectionem provehereris? ut Christum sequereris, ut ipsius consiliis obtemperares, ut te à Mundo separares? Penitusne renuntiasti Mundi placitis, & axiomatibus? An contrà potius tuam tibi prudentiam pro regula statuisti? Cùm videreris è Mundo egredi, an non

cor tuum ingressus est Mundus? Si amas voluptates; si honores, si tua commoda, si propriam tuam, voluntatem sectaris; agis, quod genius Mundi agit. Hic igitur est genius, qui dominatur in tuo corde. Interrogasne te ipsum frequenter ad exemplum S. Bernardi, cur ad Religionem perveneris? *Bernarde, ad quid venisti?* Quod igitur fuit mihi animi propositum, cum vitam Religiosam amplexus sum? An ideo prædia, & lautas possessiones reliqui, ut nugis adhererem? an ideo honores, & mundanas dignitates contempsi, ut exiguam promotionem, & vanæ gloriæ punctum in Religione prensarem? An ideo, quidquid mundus mihi delectabile, & jucundum offerre voluit, aut potuit, Deo devovi, ut vile solatium, & indignas meâ conditione delicias quærerem? Denique an ideo tam fortia rupi vincula, tam gravia superavi impedimenta, ut puerorum

crepundiis delectarer, & modicæ tentationi succumberem? Neutiquam profectò. Hic non fuit finis, quem mihi proposueram, si animi mei sensa examino, quæ tunc concepi, cum Mundo tergum obverterem. Et tamen magno cum meo pudore, nec minore veritate, coram te, mi DEUS, fateri cogor; me, si vitæ meæ rationes inspiciantur, videri posse, aut alium non habuisse finem, aut mihi ideo tam nobilem, & excellentem præfixisse, ut socordiam meam magis redderem propudiosam, & minus excusabilem.

## PUNCTUM II.

*De motivis, quæ nos obligant, ut tendamus in hunc finem.*

CONSIDERA I. Omnem animæ Religiosæ felicitatem in hoc consistere, ut perpetuò in hunc finem tendat, & illum assequatur. Potestne esse major felicitas, quàm  
nullis

nullis esse implicitam negotiis ,  
quàm nullâ de rebus vitæ neces-  
sariis, nullâ de fortunis stabilien-  
dis curâ, nullâ futurorum solici-  
tudine urgeri? in nullo deficere,  
& nihil desiderare? Hanc felicita-  
tem Religiosa Paupertas suis cul-  
toribus procurat. Estne par illi  
felicitas, quæ de impleta DEI vo-  
luntate semper te securum reddit?  
Hanc Religiosus reperit, qui per  
votum Obedientiæ propriam suam  
voluntatem exiit. Sed hæc tam  
grandis felicitas ad illos tantum Re-  
ligiosos pertinet, qui reipsâ tales  
sunt, qui, exactâ votorum suo-  
rum observatione, ad consequen-  
dam perfectionem omni studiô al-  
laborant. Tepidi verò, & ignavi,  
qui per alias vagantur ambages, &  
à suo fine deflectunt, longissimè ab  
illa absunt. Væ animæ infideli,  
inquit S. Augustinus, quæ Te,  
Domine, derelictô, aliquid melius  
se affecuturam sperat. Quasi ve-  
rò suam quis felicitatem reperire  
B 2                      possit,

possit, si à Te recesserit, qui supremum nostrum bonum es. Aut enim hæc talis agnoscit suos errores, aut non agnoscit: si agnoscit; non potest non sentire graves animi remorsus, & sollicitas curas, atque idcirco perquam misera erit. Si non agnoscit, eâ operta erit caligine, & cœcitate, quæ miserrimum omnium maxima fit. Heu! Domine, nimis, prô dolor! propriâ experienciâ didici, quam miseram huc usque vitam vixerim. Privatus eram solatiis terrenis, quibus ne gauderem, status meus media, & libertatem abstulit. Privatus etiam eram solatiis cœlestibus, quibus mea me perfidia indignum reddidit. Atque ita infelicissimus vixi, quia felicitatem meam extra Te quærere volui.

Confidera II. Hominem Religiosum intra conditionis, & Status sui limites gloriam, & honorem suum invenire. Quæ enim major gloria, quis illustrior honor, quam præ-

præfixum habere nobilissimum, & eminentissimum finem, qui est, sequi Christum Dominum, ex ejusdem esse Domesticis, familiariter cum ipso agere, ipsi esse desponsatum, eodem cum ipso patrimonio, & hæreditate frui? Hæ sunt prærogativæ Religiosæ animæ, quæ ipsi infinitam conciliant gloriam.

Quoties, anima mea, inquinasti hanc gloriam? quoties augustum Sponsæ Christi nomen profanasti? toties fanè, quoties proditâ, quam Divino huic Sponso debebas, fidelitate, te amoribus miserabilis alicujus creaturæ indignè implicasti.

Considera denique: tibi, qui vitam Religiosam profiteris, magnam incumbere necessitatem, ut ad hunc finem tendas; nec ullum superesse deliberandi locum. Tenêris enim verbis tuis, tenêris Votis, quæ edidisti; tenêris promissis, quibus te Deo non minùs zelotypo, ac præpotenti vindici, ad Altaris pedem obstrinxisti. Si est

zelotypus , minimam perfidiam graviter feret. Si est potens , non relinquet illam impunitam. De his tuis promissis accuratissimè examinaberis in tremendo illo iudicio , ut vel præmium feras , si illis satisfeceris ; vel æternis addicaris suppliciis , si iisdem defueris. Quòd si nunc mori , & coram Iudice tuo comparere deberes , nihilne esset , cujus te conscientia argueret , cum ex unâ parte Vota , & Regulæ tuæ ; ex alterâ verò perfidia tua , & continua in iis observandis negligentia , conspectui tuo objiceretur ? An non justam haberes timendi causam , ne hæc ipsa salutis , & perfectionis tuæ instrumenta , quæ tam turpiter neglexisti , in damnationis tuæ instrumenta commutarentur ? Ah Domine ! largire mihi hanc gratiam , ut tempeitivè caveam : ne in tam horrendam provolvam calamitatem. Noli permittere , ut desiderium , quod me tecum rectissimè conjungendi concepi ,

cepi, quando me per vota mea tibi obstrinxi, ex mea perfidia, occasio mihi fiat æterni à te divortii, & separationis.

*Elegi abjectus esse in domo DEI mei magis, quàm habitare in tabernaculis Peccatorum, Psal. 83.*

*Melior est dies una in atris tuis super millia. Psal. 83.*

## CONSIDERATIO I.

*De Oratione mentali,  
& Vocali.*

I. **P**ERagisne quotidie parùm aliquid orationis mentalis, sive meditationis? Hoc agere, inviolabilis tibi lex esto, cujuscunque denique conditionis sis. Sicut enim salutem tuam operari non potes, nisi de ipsa cogites, & quidem seriò cogites; ita hoc facere sine meditatione non poteris.

II. Noli autem prætere: te ad ista inhabilem esse. Crede mihi, frigida est hæc excusatio. Ut

mediteris, satis est, te esse ratione præditum. Opus tantum est memoriâ, intellectu, & voluntate. Memoriâ quidem, in quam revo- ces aliquam veritatem comparan- dæ salutis opportunam. Intellectu, ut illam ruminas. Voluntate, ut affectum excites. Agere debes circa salutem tuam, quod rudissi- mi quique Rusticorum, & simpli- cissimi Artificum agunt circa ea, quæ ad ipsorum professionem, & opificia spectant.

III. Longè minoris sanè tu esses prudentiæ, si pro tui excusatione, tuorum molestiam, aut copiam, negotiorum obtruderes. An in hoc mundo gravius, aut grandius negotium habes, quàm negotium animæ tuæ, in quo de æternitate, aut semper beatâ, aut nunquam non calamitosâ agitur? Ut dormias, ut te exhilares, ut ineptias agas, ut te perditum eas, ut te denique damnes, tempus reperis. Ut de salute tua cogites, non reperis.

IV. Cu-

IV. Curamne suscipis, ut te præpares ad meditationem? Habésne præ oculis illud Sapientis consilium, quo nos commonet?

*Ante orationem prepara animam tuam: & noli esse quasi homo, qui tentat DEUM.* Eccles. 18. v. 23.

Quite geris circa præparationem, quam appellamus remotam? quæ maximè consistit in puritate cordis, in motuum, sensuumque suppressione, in feria animi collectione. Putásne, cor impurum, motus indomitos, vagantes sensus, animum dissipatum, obeundæ Orationis te posse reddere capacem?

V. Sed quid de præparatione proximâ? conarisne legere semper Vesperis, antequam cubitum concedas, tuam meditationem, ut ejus argumentum meliùs tibi imprimas? Et ante omnia applicasne mentem præcipuè ad ea, quæ te magis dispositum reddunt? Indormisne huic cogitationi? & agis, ut eadem tibi manè evigilanti, pri-

ma omnium in mentem recurrat?

VI. Estne tibi curæ, ut incipias orationem tuam per actum vivæ fidei, qui te humilem, attentumque reddat; per actum adorationis, quo te demergas in profundum tui nihili coram Divina Majestate; per actum contritionis, quo cor tuum emundes à peccatis, quæ impedire possent communicationem DEI cum tua anima: nec enim DEUS, omnis puritatis fons, se communicare solet cordi impuro; denique per actum demissæ petitionis, quo lumen necessarium postules, ut mysterium, seu veritatem, quàm considerandam sumpsisti, rectè penetrare, & fideliter sequi possis?

VII. Studésne præterea adhibere memoriam tuam ad recolendum Mysterium, sive veritatem, quam Meditationis tuæ argumentum statuisti? Tuum intellectum, ut formatâ desuper ratiocinatione, documenta deducat, quæ  
deinde

deinde tibi ipsi applices, non ratione, & modo quodam generali, seu, ut loquimur, speculativo, sed omninò particulari & practico, ex quo naturali quodam partu nascantur affectus voluntatis, his documentis, tuis necessitatibus, tuæque dispositioni maximè conformes.

VIII. Durante oratione, exhibésne debitam reverentiam Divinæ Majestati, quæ se eò usque demittere dignatur, ut etiam tecum, tam miserabili creaturâ, agere velit? Adhibésne illam attentionem, quam & tanti momenti veritas, quam meditaris, & vox illa interna, quâ DEUS tibi loquitur, mereatur? Nec enim convenit, ut tu semper in oratione loquaris, sed oportet, ut etiam DEUM loquentem auscultes, & cum Samuele dicas: *loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

IX. An non quandoque plus tribus ratiocinationi, & operationi-

bus intellectus, quam affectibus voluntatis? si ita: multum aberras; cum principalis Orationis finis sit movere voluntatem, & ad boni amplexum inclinare. Ne tamen, nimum immoreris teneris blandimentis, & delitioso gustui sensibilibus devotionis. Hæc enim animum tantum demulcent, aut etiam inflant, nisi in opus, & praxin proficiant: qui est præcipuus Orationis fructus.

X. Ne afficiaris tædio, si tempore orationis varix, & vanæ imaginationes phantasiam invadant. Nisi enim causam, & occasionem dederis, easque sponte & voluntate tuâ admiseris, materiam meriti subministrabunt, ob molestiam, quam subis in iis repellendis. Cave, ne orationem deseras ob animi evagationes, quas toleras. Nec ideo tempus perditum putes. Multum præstabis, si illas constanter oppugnes, & patienter sustineas. Non semper Oratio illa melior est,  
 quæ

quæ tibi commoda videtur. Si DEUS tibi solatia indulserit, excipe illa animò gratò, & cum debita humilitate, & timore. Si illa subtraxerit, satis tibi fit glorificare DEUM agnoscendo tuam pauperiam, miseriam, & ignorantiam. Scopus Orationis est, excitare te ad patientiam, & resignationem in Divinam Voluntatem. Quid quæris per orationem, nisi gloriam, & laudem DEI? hanc reperies; si te submiseris huic languori, & ariditati; sive illa tibi in pœnam tuæ infidelitatis, sive in tuæ virtutis probationem immittatur.

XI. Oratio vocalis, quamvis plerumque tantum utilitatis non pariat, quantum mentalis, tamen minimè negligenda est. Sanctissimus, & utilissimus est ipsius usus, suffultus exemplò Christi, auctoritate Ecclesie, & continuâ Sanctorum Virorum praxi.

XII. Peragenda autem est debita cum reverentia, & attentione.

Applicanda est mens ad DEUM, cui loqueris, vel ad sensum verborum, si quidem illa intelligas. Optimè facies, si ad utrumque advertas. Satius est parùm & bene orare, quàm multùm præcipitanter, & absque devotione; sic enim ex pietatis exercitio nasceretur materia peccati. Rectè ages, si, antequam preces incipias, te nonnihil colligas, & tecum reputes: quisnam ille fit, ad quem preces effundere cogitas.

XIII. Illis, quibus obligatio incumbit, recitandi Officii Divini, ut rectè hoc debitum præstent, considerandum est primò; fragiles se esse creaturas, miseros Peccatores, qui DEO loquantur, magnitudine, & sanctitate infinito, & immenso: quantà igitur reverentiâ, quantà animi collectione, id facere debent? Secundò, loqui se nomine totius Ecclesiæ, cujus Ministri sunt: quantà igitur sanctitate, quantà devotione hoc ministeriò fungi debent?

debent? Tertiò, placandam ipsis esse iram DEI, justè in Peccatores irritati, & conciliandam ipsius misericordiam: quanto igitur humilitatis, contritionis, fiducia, & fervoris sensu, preces suas offerre debent?

## LECTIO

### Pro primo Die

Ex Scriptura Sancta Caput I. Ecclesiasticis  
& finis Cap. XVI. S. Matthæi. v.  
XXIV.

Ex Imitatione Christi Cap. I. & XX. Lib. I.  
Ex Duce Peccat. Lud. Granatensis Cap. II.  
Lib. I. & §. VIII. Cap. XXVIII.

Ex P. Rodriquez de Perfect. Christ. Cap.  
VI. & VII. Tract. II. Partis III.



DIES

DIES SECUNDUS.  
DE PECCATIS  
SIVE

*De obstaculis, quæ à conse-  
quendo nostro ultimo fine nos  
impediunt.*

---

MEDITATIO IV.

De tribus Peccatis, sive  
de peccato mortali considerato  
in suis effectibus.

PUNCTUM I.

*De Peccato Angelorum.*

CONSIDERA: DEUM Angelos  
omnibus pulchritudinis, &  
perfectionis numeris absolutos  
condidisse, ut per sui submissionem  
mererentur ipsum æternum pos-  
sidere. Illos autem sui amore,  
& pulchritudine captos, evanuisse,  
&

& cùm omnia naturæ, & gratiæ ornamenta, quibus excultierant, ad DEUM velut ultimum eorum finem referre debuissent, vanam elatæ mentis oblectationem hausisse ex propriis suis perfectionibus, in quibus tanquam in ultimo fine conquiescebant; quod DEUM ita exacerbavit, ut ad deprimendam tam stolidam superbiam, & castigandam tam seditiosam rebellionem, ipsos æternis flammis addiderit, perpetuò cruciandos. Atque ita nunc suis suppliciis jure meritò Justitiam DEI prædicant, cujus potentiam per sui subjectionem celebrare detrectabant.

Hinc tres jam conclusiones deduco. Prima est: quàm horrendum sit incidere in peccatum mortiferum, postquam DEUS, qui, totus quantus est, Bonitas, Misericordia, & Sapientia est, tanto cum rigore propter unicum solum punit, quod tantùm cogitatione, & vanitate commissum est, nec mome-  
tò

tô diutius duravit, tantum numerum tam illustrium, & perfectarum Creaturarum, quæ ipsum in omnem æternitatem miris laudibus extollere potuissent, si veniæ gratiam fecisset; quæ ipsum tot jam ignominiiis afficiunt, cum illam negavit. Nihil profectò est, quod nos meliùs concipere faciat, quæ sit Sanctitas, & Majestas DEI, & quid sit vel unicum peccatum mortale, quod ipsum laceßere audeat, quàm hæc ipsa à DEO decreta in Angelos pœna.

Si juxta hanc faciem, & non juxta corruptum cupiditatum, & sensuum nostrorum judicium peccata considerarem, Ah! quàm citò aliam indueremus mentem! Quàm illicita hæc voluptas, sceleratæ hæc illecebræ, quæ tantopere nobis animum deliniunt, abominabiles nobis redderentur! quantum horrorem conciperemus non tantum de peccatis, sed etiam de nobismetipsis!

Secunda Conclusio est, quam S. Petrus formavit. Si DEUS Angelis non pepercit, quid nos oportet de ipsius justitiâ cogitare? nos, qui non tantum unum, sed plura perpetravimus peccata, nec mente tantum, & cogitatione, sed opere ipso; & quidem post tot accepta beneficia; postquam Angelos tam severè vidimus punitos; postquam DEUM ipsum in ligno crucis pro nobis mortuum conspeximus? nos, qui tam miserabiles sumus, qui tam parum ad gloriam Divinæ Majestatis conferre possumus? An ideo peccatum levius esse, credimus, & minus provocare odium, & iram Omnipotentis DEI, quia intra nos est? An ideo, Domine, animum tui minus studiosum, & ad tui offensam magis audacem exhibere debeo, quia gratiam Angelis negatam, mihi indulxisti?

Tertia Conclusio. Quòd si Angeli tot illustrationibus, & gratiis ditati, quos nec concupiscentia  
intus

intus, nec tentatio foris pulsabat, tam miserè in peccatum prolapsi sint; ego quid præsumam? ego tam fragilis? tot incompositis irritis animi motibus? tot expositus tentationibus? tot circumdatus occasionibus? Si ventus vanitatis illos abstulit, quid mihi non timendum? mihi, qui pulvis sum, & pulvere levior?

Quid scio ego, an non infelix hæc vanitas me jam in aliquos errores, consideratione & dolore dignos præcipitârît? Quid scio ego, an mea cœcitas illos mihi non abscondat, ne remedium asseram? Quid scio ego, an non patientia DEI me sustineat in tempore, ut exemplum sim ejus Justitiæ, qua in me gravius desæviat in æternitate? Ah Domine! ne hoc permittas; sed, postquam beneficium mortis tuæ mihi contulisti, quod Angelis non concessisti, da mihi etiam, per merita ejusdem sanctissimæ mortis, illam gratiam, quam

quam Angelis negasti, hoc est, tempus, & voluntatem agendæ pœnitentiæ.

## PUNCTUM II.

### *De Peccato Adami.*

**C**ONSIDERA: DEUM creâsse Adamum in Paradiso terrestri instructum justitia originali, & magnâ gratiarum abundantia, cui etiam concessit perfectum omnium suorum motuum dominium, & absolutum in omnia animalia imperium; quibus addidit privilegium immortalitatis, cum securitate firmæ felicitatis, hac solâ lege, ut ad probandam suam obedientiam abstineret à fructu, quem ipsi prohibuerat. Sed Adam passus est se vinci à tentatione Dæmonis, qui promittebat, ipsum fore similem DEO; aut, quod probabilius est, cessit assentationi, & blanditiis suæ Uxoris, atque ita amorem creaturæ prætulit obedientiæ, quam DEO  
de-

debebat. Vix vetiti pomi frustum deglutierat, cum DEUS ipsum ex Paradiso terrestri ejecit, omnibus ortus sui prerogativis exiit, ad nongentorum annorum poenitentiam condemnavit, & eodem momento Posteriores ejus, peccati hujus atque omnium inde pullulantium malorum, ac calamitatum, hæredes esse voluit. Cogita nunc hoc malorum diluvium, quod postea totum mundum inundavit, & æternam tot animarum damnationem, funestum fuisse partum unius peccati, quod in se ipso non admodum magni momenti esse videbatur.

Ex hoc secundo Puncto easdem conclusiones, & eosdem affectus deduces, quos ex primo collegisti. Hoc unum observa: Vanitatem, & animi mollitiem, quarum altera Angelos, altera Adamum perdidit, esse duo infausta principia, quæ nos à nostro fine avertunt.

PUN-

## PUNCTUM III.

*De Peccato plurium Alio-  
rum.*

**C**onsidera: Quot fuerint in Ec-  
clesia, atque etiam in Religione,  
qui initiô vitam duxerunt tuâ lon-  
gè ferventiorē, & religiosiorē;  
quia tamen paulatim tepescere, &  
in servitio DEI, eique placendi stu-  
dio remittere cœperunt, neque  
omnia amplius ad DEUM tanquam  
ultimum finem direxerunt, sibi, su-  
is commodis, honori, & volupta-  
tibus justô nimium addicti, in  
quosdam defectus incurrerunt,  
qui, primo aspectu, leves visi, i-  
psos sensim, & sine sensu, tam mi-  
serandis implicârunt excessibus, ut  
velut oculis, & mente capti, cœco  
impetu in ipsum Inferni barathrû  
deturbarentur.

An non hæc ipsa calamitas mihi  
quoque poterit accidere? cum ipsi  
longo tempore, in obsequio Divi-  
no,

no, me multò fideliores, & ardentiores fuerint, & ego eadem, & fortè etiam majora scelera perpetrârim, vigeatque in me illud ipsum corruptionis principium, nempe inexhaustus proprii amoris fundus, qui me impedit, & retardat, ne unicè DEUM, ejusque gloriam, quæram? Certè me cogit, ut excubias, & perpetuam mei ipsius custodiam agam, ne meis quid tribuam commodis, proprioque honori. An non igitur justa est mihi timendi causa, ne in id ipsum exitium impellar? Et cui hoc ingens beneficium debeo, nisi misericordix tuæ, mi DEUS, quòd non jam in illud conjectus sim? Tantâ illa mecum bonitate egit, dum interim infelices illos, tanto cum rigore, æternis cruciat tormentis, qui fortè me minùs ingrati, minùsque culpabiles fuerunt, quia à te minoribus donis affecti. Hoc me nunc vehementer impellit, ut dicam tibi maximo  
cum

cum doloris, & gratitudinis sensu:  
Domine DEUS meus, laudabo te  
ex toto corde meo, & glorificabo  
nomen sanctum tuum in æternum;  
quia fecisti mecum misericordiam,  
& eruisti animam meam ex pro-  
fundo lacu; quia sustinuisti me,  
ne caderem in illum.

*Angeli fortitudine, & virtute  
cum sint majores, non portant ad-  
versum se execrabile judicium. 2.  
Pet. 2.*

*Ecce, qui serviunt ei, non sunt  
stabiles, & in Angelis suis reperit  
pravitatem. Job. 4.*

*Misericordia Domini, quia non  
sumus consumpti. Thren. 3.*

*Nisi quia Dominus adjuvit me,  
paulò minus habitasset in inferno  
anima mea. Psal. 93.*

## MEDITATIO V.

De peccatis nostris pro-  
priis.

POSTquam in alijs consideravimus cau-  
sas, & effectus peccati, quod est recessus  
sus

sus à nostro fine : nunc peccata nostra propria ponderemus. Finis hujus Meditationis est : ut intremus in nosmet ipsos , ut nos ex fundo cognoscamus, & videamus, quidnam illud potissimum sit , quod nos ab ultimo nostro fine avertit.

## PUNCTUM I.

*De multitudine, & conditione nostrorum peccatorum.*

**S**iste te in conspectu DEI, velut Reum læsæ Majestatis, oneratum tot catenis, quot criminibus, & plenum formidine æternæ damnationis. Tum pete gratiam, qua illustratus, possis bene cognoscere deplorandum animæ tuæ statum, cum firmo, sinceroque animi proposito, te inde quamprimum eximendi. Deinde, ut miserabilem animæ tuæ conditionem, & prævios in illa dominantēs habitus bene explores,

Considera I. quamnam sint tuæ cogitationes, tua verba, tua desideria, tuæ repugnantia, tuæ incli-

na-

nationes, tui metus tibi magis con-  
fueti, & usitati? quæ denique tuæ  
totius diei actiones, quisque agen-  
di, operandique modus?

Confidera II. quæ te geras in iis,  
quæ ad DEUM pertinent? Qua a-  
nimi, corporisque compositione  
tuas orationes, tuas Confessiones,  
Communiones, Sacras Lectiones  
&c peragas? Quali fœcordia, qua-  
li tædiô, quali torpore, quali ani-  
mi evagatione, quali irreverentia,  
his pietatis exercitiis, fungaris?  
Quem nobis pudorem afferre de-  
bet, quòd DEUM illis ipsis, quibus  
ipsum honorare prætendimus, a-  
ctionibus, ignominiâ afficiamus?  
His adde tot bona omiffa, ad quæ  
tenebaris, tot gratias contemptui  
habitas, tot media salutis neglecta,  
tot vana confilia, tot inutiles co-  
gitationes, tot impura desideria,  
tot peccata occulta, atque etiam a-  
liena, quibus causam, aut occasio-  
nem præbuiſti.

Confidera III. si sis Religioſus,

quomodo ad acquirendas virtutes statui tuo proprias incumbas? quomodo adjumenta perfectionis veritas in detrimenta salutis?

Considera IV. quo agendi modo utaris erga proximum? utrum non convellas charitatem, aut certe graviter vulneres, tuis injuriis, tuis averfionibus, tuis asperitatibus, tuâ impatientiâ, tuâ invidiâ, tuis temerariis judiciis, tuô malô exemplô, tuâ negligentia in aliis corrigendis, quorum tibi fortè cura demandata fuit?

Considera denique: qua ratione te ipsum tractes? qua conniventia, qua indulgentia tuorum motuum, & sensuum? qua aviditate, tua commoda, tua emolumenta, tuam vanitatem & voluptatem secteris? quàm mirô, & continuô artificiô omnia ad te ipsum derives? quot peccata etiam gravia committas, ad quæ tamen cæca tua cupiditas animum advertere non permittit? ?

Quid

Quid nunc ex his concludam ,  
Deus meus , nisi , quòd huc usque  
nihil minùs fecerim , quàm , quod  
maximè debebam , tendere in eum  
finem , ad quem Tu me creâsti ?  
omnes mei gressus , omnia mea  
vestigia ad longè diversum , ab  
hoc , scopum , dolendo errore , fe-  
rebantur. Tota mea vita conti-  
nuus fuit vitiorum nexus , quæ e-  
undem propè cum meis cogitatio-  
nibus , verbis , & actionibus , nu-  
merum habent. Ita ut meritò  
cum Prophetâ exclamare possim :  
*iniquitates meæ multiplicatæ sunt  
super capillos capitis mei.* Psal. 39.  
v. 13. & *sicut onus grave , gravatæ  
sunt super me.* Psal. 37. v. 5. Et  
quod luctuosissimum est , ita om-  
nem mihi sensum abstulerunt , ut  
ne quidem illarum multitudinem  
viderem , nec pondus sentirem ,  
etiam tum , cum me premerent :  
*Et non potui , ut viderem.* Psal.  
39. v. 13.

Sed tuum est , Domine , mihi  
C 3 per

per infinitam misericordiam tuam nunc aperire oculos, ut agnoscam, & videam peccata mea; & perfringere cor meum, ut eum concipiat dolorem, qui illorum gravitati, & multitudini respondeat, ita ut, sicut nullum ferè vitæ meæ momentum præterit, quo te non offenderim; ita etiam mihi nullum deinceps elabatur, quo illa non deplorem, & pœnitentiam agam.

## PUNCTUM II.

### *De gravitate istorum peccatorum.*

**C**onsidera: quæ sit gravitas, & enormitas istorum peccatorum. 1. Ob vilitatem illius, qui illa commisit, qui est miserabilis creatura, vermiculus terræ, turpe nihilum. 2. Ob summam Majestatem illius, qui offensus est, nempe ipse DEUS, cum quo si perfectissimæ quæque creaturæ comparentur, nihilô minus apparent. Quid igitur

igitur erit miserabilis Peccator, tui similis, si cum ipso conferatur? Et tamen audes ipsum invadere?  
3. Ob res nullius penitus pretii, propter quas DEUM tuum gravissimè læsisti, dum ipsum miseræ creaturæ, exiguo commodo, sordidissimæ voluptati postposuisti. 4. Ob innumera, maximaque beneficia, quibus te sibi obstrictum, devinctumque habet. Ipse te ad sui imaginem condidit; ipse te pretiosissimo suo sanguine redemit; ipse te ad æternam gloriam destinavit; ipse te quotidie eximiis donis, & favoribus cumulavit. Et quid est, quod ipsi pro tot gratiis, pro tantis favoribus, pro tam immensis beneficiis rependisti? quid, nisi ingrati animi vitia, contemptum, injurias, ignominiam? 5. Denique ob adversæ rationis oppositionem, quæ inter tua peccata, & infinitas DEI perfectiones intercedit. Per hæc enim tua peccata, siquidem mortalia fuerint, odio habuisti im-

mentem Bonitatem, nullis non ardentissimis amoribus dignissimam. Si verò venialia; illam admodum frigidè, & tepidè es profecutus. Adorandam, tremendamque Majestatem, coram qua ipsi etiam Seraphini præ admirationis magnitudine se abscondunt, impiissimo ausu contempsisti.

Ut genio tuo indulgeres, abusus es Omnipotentiam, & ipsius concursum, sine quo agere nihil poteras, in ipsiusmet offensam detorsisti. Usus es ipso contra ipsum, dum malitiæ tuæ famulatum præstare coëgisti, quod ipsemet gravissimis his verbis conqueritur: *Servire me fecisti in peccatis tuis. Isaia 43. v. 24.* Injuriã affecisti ipsius Immensitatem, quæ ipsum ubique præsentem constituit, dum ausus es in ipsius præsentia, atque, ut ita loquar, intra proprium ipsius sinum, turpissima quævis committere, nec horruisti purissimos illos oculos, qui nihil impuritatis su-

stinere

finere possunt. Evertisti omnem summæ illius Sapientiæ ordinem, quando media illa, quibus te ad ultimum tuum finem conducere nitebatur, impudenter adhibuisti, ut ab illo deflecteres. Denique subtraxisti te perfidè supremo ipsius Dominio, ut turpem infrunitæ tuæ concupiscentiæ, tuæ Libidini, Mundo, Carni, & Diabolo, morem gereres. Age, concepisti hæc aliquando bene; cum tam facili negotio in peccata etiam gravia proruisisti? Justone examine aliquando ponderasti horribiles injurias, quas Deo intulisti, quando Divinas ejus prærogativas tantâ temeritate violasti, & quantum quidem in te fuit, etiam destruxisti? Aususne esses unquam hæc talia committere, si prius bene perpendisses?

Non, Domine; nunquam hæc bene expendi. Et hæc est unica meæ miseriæ origo. Quid nunc magis admirari debeo, meamne

cœcitatē, an tuam patientiam, qua me tam sceleratæ caligini sponte mea implicitum, huc usque tolerasti? Nunc autem, mi DEUS, cum tuâ illustratus gratiâ illam videam, & agnoscam, quâ fit, quod præ animi dolore, & confusionis abundantiâ non moriar? Ita est: offendere te possum sine te, sed offensam detestari, peccata mea lacrimis eluere, & ut decet, veniam à te petere, non possum sine te. Tuum igitur est, Domine, salutari dolore cor meum configere, atque inde mihi veniam largiri, quam etiam peto, DEUS meus, per illam Bonitatem, quam contempsi; per illam Misericordiam, qua abusus fui; per illum Sanguinem, quem pro me effudisti, & quem ego toties impiè conculcavi.

*Va nobis, quia peccavimus.*  
Thren. 5.

*DEUM, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Creatoris tui.*  
Deut. 32.

*Non est sanitas in carne mea à facie ire tue, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*  
Psalm. 73.

## MEDITATIO VI.

*De obstaculis, quæ nos aliquo modo avertunt à nostro fine  
sive*

### *De peccato veniali.*

*Considerabimus primò hoc peccatum in se ipso, tum in suis effectibus.*

## PUNCTUM I.

*De Peccato Veniali, considerato in se ipso.*

**C**ONsideremus in primis : Hoc peccatum, etsi leve, & ut vulgò loquimur, veniale fit : veram tamen esse DEI offensam ; cum fit quidam supremæ Majestatis contemptus ; quædam ingrati animi labes erga infinitam Bonitatem ; quidam Omnipotentiaë abusus,  
C 6 quæ-

quædam sanctissimæ voluntati resistencia, & Divinæ gloriæ immunitio. Non est quidem tota ab ultimo fine aberratio; est tamen obliquus quidam flexus, qui sensim ad illam ducit. Non est integra à DEO separatio: est tamen quædam animi remissio, quæ eò inclinatur. Non est jactura gratiæ, est tamen illius perdendæ grande periculum.

Verum omnino est: Peccatum veniale Christum rursus in crucem non agere, ut agit mortale. Negari tamen non potest, quin ipsum periculosè vulneret. Verum quoque est: Peccatum leve, quantum in ipso est, nec DEUM, nec Divinas destruere perfectiones, quas in nihilum redigere nititur abominanda Noxæ lethalis Pestis, ut nos docent SS. Patres: subtrahit tamen debitum tantæ Majestati respectum, & devotum justissimæ voluntati obsequium, illud denique etiam concedendum est:

est: Peccatum veniale animam  
Divino suo Sponso nec infidelem,  
nec perfidam reddere, inducit ta-  
men quendam languorem, qui  
sinceri affectûs ardorem vehe-  
menter emollit, & tepefacit. At-  
que, ut totum paucis describam:  
Peccatum veniale est quædam a-  
ctio, quæ DEO displicet. Ah!  
quàm difficulter anima, quæ no-  
vit, quid sit esse DEUM, capere, &  
assequi poterit; quâ fieri possit, ut  
in homine, hæc duo concurrant:  
cognoscere, & profiteri, se amare  
DEUM, & tamen, positô studiô,  
ipsi displicere velle?

Consideremus II. Ex hoc ipso,  
quòd peccatum veniale offensa,  
malûmque DEI sit, rectè prorsus  
concludi: ipsum tantum esse ma-  
lum, quod omnia mundi mala, e-  
tiam simul juncta, longissimô in-  
tervallô antecedit; & Viros fan-  
ctos, jure meritissimo, malle pri-  
ùs mille vitas prostituere, quàm  
vel unicum, deliberatô animô,

committere. Præterea neminem, tutâ conscientiâ posse levissimum mendacium proloqui, etiam si per illud gloriam DEI in immensum attollere posset. Denique omnes Creaturas maximo honori sibi ducere debere, si rursus in suum nihilum evanescere, & sic suo omnium interitu, minimum peccatum impedire possent.

Ah, Domine! quam parùm credidi, aut saltem quàm parùm consideravi hanc Veritatem, quam tamen nos Fides docet. Si enim credidissem, si seriò cogitâissem: me per hoc officiosum mendacium, per hanc levem detractionem, per salientem hunc jocum, per modicam hanc invidiam, per hunc Regulæ neglectum, per vile hoc corporis oblectamentum, per respectum hunc humanum, per futilem hanc vanitatem, per liberâs has, inter preces, animi evagationes, si, inquam, credidissem: me per hæc talia tantum committere

tere malum , cum quo omnia ,  
eâque maxima totius mundi ma-  
la ne quidem in comparationem  
venire possent : Malum ma-  
jus , quàm omnium gentium de-  
populatio , quàm Creatorum om-  
nium interitus , quàm ipsum totius  
Universi excidium : si hoc seriò a-  
nimo concepissem ; nunquam tam  
cœcus , tamque ab omni mente , &  
sensu alienus fuisssem , ut vel semel  
dicerem , quod tamen frequenter  
dixi : *Est tantum peccatum Venia-*  
*te.* Ah , Domine ! postquam tuâ  
gratiâ ita me nunc illuminâsti , ut  
hunc errorem meum agnoscerem ,  
fac , obsecro , ut deinceps à minimo  
peccato , haud secus ac à malorum  
maximo abhorream , & ita semper  
animô comparatus sim ; ut malim  
omnia prius mala millies  
subire , quàm te vel le-  
vissimè offende-

re.

PUN-

## PUNCTUM II.

*De peccato veniali considera-  
to in suis effectibus.*

**P**rimò. Inter partus peccati venialis perquam infelices vel maximè numerandum est, quòd paternum Divini cordis affectum vehementer hebetet, atque inde efficiat, ut DEUS animæ, quæ in ipsi placendi studio torpet, specialem illam Providentiam subducat, qua alias animas sibi fideles, suæque constanter studiosas completitur. Nec enim extraordinariam illam tutelam, & curam singularem adhibet, qua ab his pericula amoliri, & tentationum vim aut repellere, aut enervare solet. Deinde non communicat animæ tepidæ cœlestia sua arcana, & favores particulares, ut sunt magnum Orationis donum, animus continuo collectus; suavis cum ipso conjunctio, spiritus fervens, con-  
sola-

solationum abundantia, quam excipit mirus rerum cœlestium gustus, & rara in vitæ interioris exercitiis facilitas, præter firmam quandam spem, & lætam securitatem, quæ animas verè devotas, quasi certas facit: se esse in gratia constitutas. Spiritus enim testimonium ipsis reddit, quòd sint filii Dei.

Præterea animas in evitandis levioribus noxis socordes privat vivo illo lumine, & necessario gratiarum succursu, sine quo tentationum paulò gravius incumbentium assultum nunquam reprimere poterunt. Nam hujusmodi gratiæ ex tenero, liberalique affectu profluunt, quem illis non indulget, qui cum ipso veluti nundinantur, & à lethiferis solùm peccatis abstinere volunt, quæ sub gravi pœna sunt prohibita.

Secundò Deus exquisito rigore plectit peccata venialia. Consideremus tantùm gravissimam vindictam, quam de illis cum in hoc mundo,

mundo, tum in purgatorio carcere sumit. Moyses DEO gratissimus ob levis diffidentiae culpam exclusus est a terra Promissionis, ad quam tantopere anhelarat. Curiositatem Bethsamitarum minus reverentem 25000 hominum, morte punivit. Oza suam imprudentiam, qua temere arcam tetigit, repentina morte luit. Quam terribili flagellô David, Vir ille secundum cor DEI, ob levem vanitatem, qua populum sibi subiectum numeratum voluit, correptus fuit?

Quam severè leviores etiam noxas castigat in purgantibus flammis? ob unum, unicum peccatum veniale animas sibi dilectas, & à quibus ipse unice amatur, tantis excruciat tormentis, ut horrore, & violentiâ, ne quidem inferorum poenis cedant. A suo conspectu & praesentiâ illas proscribit, si vel unius levis delicti maculâ inquinatae sint, & si inquinatae manerent,

nerent , in omnem æternitatem  
proscriberet.

Ah Domine ! Anima , quæ has  
veritates bene ponderat ; quæ re-  
ctè expendit formidanda tuæ Ju-  
stitiæ exempla , quibus peccatum  
veniale plectit , potèstne illud ap-  
pellare leve delictum ? An leve  
dici potest , quod tantæ Majestatis  
DEUM offendit ? cui ille , qui ipsa  
Bonitas est , tam horribiles dictat  
pœnas. Ah Domine ! Peccatum  
veniale non videtur res levis mo-  
menti , nisi iis hominibus , qui Fidei,  
qui cognitionis tuæ Divinæ Maje-  
statis , qui timoris tuorum Judi-  
ciorum , qui amoris tuæ infinitæ  
Bonitatis aut parum , aut nihil ha-  
bent ? Sed anima tui verè amans  
à minimo peccato , quia tibi displi-  
cet , magis abhorret , quàm ab om-  
nibus totius mundi miseriis , quàm  
ab ipso etiam terribili inferni ba-  
rathro. Fac , Domine , ita te rogo ,  
ut te cognoscam , ut te amem , ut  
eas cogitationes , idque firmissi-  
mum

mum animi propositum concipiam, quo prius velim, ut planè jam volo, tua adjuvante gratia, mille vitas profundere, quàm vel unicum peccatum veniale, animo volente, committere.

*Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Luc. 16.*

*Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. 14.*

*Qui timet DEUM, nihil negligit. Eccl. 7.*

*A minimis incipiunt, qui in maxima prorumpunt. S. Bernard.*

## CONSIDERATIO II.

### De Examine Conscientiæ Generali, & Particulari.

#### *De Examine Generali Conscientiæ.*

**F**ACISNE quotidie examen conscientiæ saltem vesperi?  
Nun-

Nunquam illud certè omittes, si, quanti sit momēti, bene expendas. Efficacissimum hoc, & facillimum medium est acquirendæ perfectæ sui ipsius cognitionis, tam raræ, tamque necessariæ, ut quis intra debitos humilitatis, & confusionis terminos coram DEO se contineat, & eradicatis pravis consuetudinibus, cum magna conscientix, & cordis puritate vivat, suamque salutem in tuto collocet. Si enim, antequam cubitum concedas, conscientiam tuam diligenter excusseris; semper serio, & perfecto animi dolore peccata tua detestaberis, atque ita nunquam te somno committes gravis delicti labe infectum, neque te funestissimo æternæ damnationis periculo expones.

II. Quòd si examen feceris, cave, ne illud neglectim, & ex ficca tantum consuetudine peragas; sed quanta poteris mentis applicatione, & fervore, quinque hæc puncta, quibus illud absolvitur, obser-

va. 1. Gratias age DEO pro acceptis beneficiis. 2. Lumen pete, quo errata, & ingrati animi vitia cognoscas. 3. Te ipsum excute, & sine ullo palpo inordinata cordis tui desideria, & vagos motus perscrutare. 4. Excita vivum, sincerumque dolorem de tuis peccatis. 5. Denique firmissimum seriae emendationis propositum concipe.

III. Estne tibi cordi, ut te examines maximè circa illum animi affectum, qui tibi, & in te potissimum dominatur, & circa illud peccatum, cui præcipuè subjectus es; quod etsi cæteris gravius non sit, est tamen periculosius, quia obstaculum ponit tuæ salutis, & profectui, quem DEUS intendit. Exigisne à te rationem de continua illa infidelitate, qua Divinas gratias aut malè excipis, aut turpiter eludis, & de negligentia in exercitiis piis, quæ DEO debes?

IV. Conarisne singillatim in te excitare verum & vivum dolorem de

de tuis defectibus? an cursim, & leviter agis, quæ agis; ut solent tepidæ illæ animæ, quibus præter peccatum lethale nihil horrore est, quæque nauci faciunt, post tot accepta beneficia, displicere DEO, modò offensa talis non sit, quæ gratiam penitus interimat?

V. Estne tibi satis generale formare propositum corrigendi tuos errores, nec illos diligentius exenteras, qui majoris sunt indaginis, qui tibi tenacius impressi? An de mediis tuæ correctioni magis consentaneis circumspicis? vel etiam tibi ipsi pœnitentiam imponis, ut deinceps melius attendas? fortè bonis tuis propositis nimium tribuis, cum tamen omnem fiduciam debeas in DEUM conjicere, sine cujus auxilio nihil potes?

### *De Examine Particulari*

#### *Conscientiæ.*

I. **I**Nter examen particulare, & generale hoc discrimen intercedit,

cedit, quòd per generale in omnes; per particulare autem in unum tantum defectum, sive vitium inquiratur, cujus nimirum correctionem præcipuè intendimus.

II. Usus hujus examinis est summi ponderis, cum dici possit utilissimum, & efficacissimum remedium, quo indomitos animi motus compescere, pravos habitus extirpare, & vitia, quæ nos præ reliquis magis impugnant, superare possumus. Propterea à viris sanctitate, & doctrinâ conspicuis, qui id propriâ experientiâ probârunt, nobis summopere commendatur. Hòc certè mediò S. P. Ignatius, qui sancti hujus exercitii restaurator meritò laudatur, ad tam admirabilem conscientie puritatem, & tam claram sui ipsius cognitionem pervenit, ut quid intus intra se ageretur, perspiceret optimè, & omnes cordis affectus in sua potestate haberet. Hac ipsa

industriâ S. Franciscus Salesius, etsi à natura vivi, & præfervidi ingenii esset, in virum amœnissimum, suavissimumque evasit. Si hoc tam salubre remedium huc usque neglexisti, quid mirum, quòd malas consuetudines, vitiosos habitus, aliòsque animi morbos nondum exueris?

III. Materia hujus examinis debet esse virtus, aut vitium aliquod particulare. Plerunque assumitur vitium, quod in nobis magis dominatur, aut plus nobis molestiæ affricat, sive ob multitudinem, & gravitatem defectuum; sive ob periculum animæ, in quod nos agit. Non oportet autem illud univèrsim aggredi, & uno impetu velle evellere noxios furculos, qui ex illo pullulant, sed pedetentim, & unum post alterum, captò initiò ab illis, qui graviores sunt, & plus periculi minantur. Hostis enim à se ipso divisus faciliùs prostrernitur.

IV. Modus faciendi hoc examen est iste. 1. Manè sub oratione fac propositum evitandi illos defectus, quos oppugnare cogitas, prospiciendo occasiones, quæ tibi lapsûs causam præbere poterunt, ut sic tela prævisa minus feriant. Deinde pete à DEO gratiam, & auxilium, quo in pugnam animeris. 2. Ante vel post prandium explora, quoties lapsus sis, & concepto inde vivo dolore, veniam à DEO postula magno confusionis, & pudoris sensu, ob ignaviam, & socordiam tuam. Renova etiam propositum matutinum, & vesperi id ipsum totum præsta.

V. Ut expectatus ex tam sanctæ praxi fructus capiatur, observa sequentia. 1. Quàm primùm advertes, te in aliquem illorum defectuum esse prolapsum, statim veniam DEUM roga. 2. Duabus quotidie vicibus numerum defectuum, in quos impegi-

sti,

sti, exactè nota. 3. Compara diem cum die, hebdomadem cum hebdomade, ut ita intelligas, quem profectum hauseris. Non tamen despondeas animum, si deprehendas, te parùm profecisse, quin etiam aliquoties defecisse; hoc enim tibi justæ submissionis, & ruboris argumentum dabit; cùm videris, te, adhibitâ magnâ diligentîâ, parum, aut nihil collegisse. Quid fieret, si omnia neglectim, & sine cura ageres? 4. Impone tibi quotidie pœnitentiam, quæ multitudini, & gravitati defectuum respondeat, ut ita te vigilantiorē præstes. 5. Suo tempore redde rationem Directori tuo de progressu, quem ex hac pugna cepisti.

## LECTIO

### Pro secundo Die

Ex sacra Scriptura. Cap. I. Isaia, & Cap. VII.  
Epistolæ S. Pauli ad Romanos.

Ex Imitatione Christi Cap. XXI. & XXII.  
Lib. I.

Ex Memoriali Lud. Granatensis Cap. III.  
Lib. II.

Ex P. Rodriguez de Perfect. Christiana  
Cap. XXIII. Tract. VIII. Part. I.



DIES

DIES TERTIUS.

DE MISERIIS,

*Quibus se illi implicant, qui  
à suo fine deflectunt.*

---

MEDITATIO VII.

De Morte.

Præludium I. Imaginare tibi, te in mor-  
tis articulo constitutum, extremum de-  
cumbere, & jam preces pro te fieri, qui-  
bus anima pro felici exitu commendatur.

Prælud. II. Pete à Dño gratiam, ut bene  
concipias supremum hoc momentum, ex  
quo æternitas dependet, atque ea adhi-  
beas media, quibus ad illud rectè præpa-  
reris.

PUNCTUM I.

*Mors considerata ad hanc  
vitam.*

ES  
COnsidera igitur, quòd mors  
considerata ad hanc vitam ni-  
hil aliud fit, quàm separatio ab om-  
nibus rebus hujus mundi, juxta  
D ; illud

illud S. Job. *Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus.* Job. 14. v. 10. Illa enim separat ab omnibus dignitatum gradibus, ab omnibus voluptatibus, à parentibus, ab amicis, ab omni eo, quod nobis maximè in deliciis fuit, imò ab ipso etiam corpore. Si fuisses totius hujus universi Dominus & Gubernator, nihil tibi remanebit præter tumulum, & linteum, quo involvaris: *Et solum mihi superest sepulchrum.* Ex hac veritate bene ponderata plures conclusiones pro vita emendanda, moribusque reformandis, valde utiles deduci possunt.

Prima est, quòd absolutè separari debeamus ab illis rebus, quibus sine peccato, aut periculo peccati adhærere non possumus; an non enim insignis stultitia est, nolle cedere rationi, suæ salutis, & DEO, cum magno merito, quod denique sine ullo merito, necessitati, & morti cedendum erit? Heu!

Domi-

Domine, si explorem cor meum, an non reperiam aliquem talem affectum, aut sceleratum, aut periculofum, quem huc usque inconfulti animi cæcitas me celavit, quem instans mors mihi deteget, ut majori me dolore, & forfitan etiam desperatione percellat, quia non cognovi prius miseriam meam, quam cum non amplius esset remedio locus.

Secunda Conclusio est, quòd si *absolutè* separari debeas à rebus, quas sine crimine, aut sine periculo possidere non potes, debebis etiam separari ab illis, quas sine hujusmodi vitio possidere, posses. Hoc ergo nunc agamus. Primò enim per talem separationem renuntiamus aliquo modo, imò nos ipsos abstrahimus ab omnium rerum amore, tantò majori cum merito, quantò promptiori cum voluntate sponte, & liberè id præstamus. Secundò nos in præsentiarum longè majori facilitate nos

separamus, quia id paulatim, & sensim, ac velut sine sensu præstamus. Ex aduerso non potest non anima magnam sustinere violentiam, quando unico velut ictu, & in temporis momento avellimur à tot rebus, quæ nobis tantopere cordi sunt; & ideo tum maximè anima turbatur, ut metitò exclamet: *Siccine separat amara mors?* 1. Reg. 15. v. 32. Denique tertia ratio, quæ nos impellit, ut nosmet ipsos abstrahamus ab omnibus rebus, durante adhuc hac vita, est ista: quòd, si mors nos suo assultu, invadat, fortè tunc ita cor, & spiritum occupet, ut simul nobis tempus, & cogitationem, nos ad illam præparandi auferat, nec amplius nobis libertatem, & cordis promptitudinem relinquat; quæ tamen vel maximè necessaria est, ut omnia rectè pro supremo, & perquam periculoso illo articulo, dirigantur. Quoties jam id accidisse vidisti? & cur non aliena pericula,

& exempla nos cautos reddunt? Statue igitur, deinceps quotidie mori; quod S. Paulus fecit, cum dixit: *Quotidie morior.* 1. Cor. 15. v. 31. Omni die separa te ab aliqua re; quod opportunum erit remedium, ut suo tempore longè minori cum dolore, & labore moriaris. Oportet quotidie mori, ut discas semel bene mori. O beatos illos, quos mors sibi ipsis, & omnibus creaturis, iam mortuos inveniet! væ autem illi, quem mors sibi, & creaturis adhuc viventem reperiet!

## PUNCTUM II.

*Mors considerata ad alteram vitam.*

**P**ERpende, mortem consideratam ad alteram vitam, esse transitum ad unam æternitatem infinitè felicem, si in gratia decedamus; infinitè calamitosam, si in gravi peccato; quod S. Job. his verbis

expressit : *Homo verò , cùm mortuus fuerit , ubi , quæso , est ? Job. 14. v. 10.*

Si arbor , dixit Filius DEI , ceciderit versus meridiem , aut septentrionem , ibi semper manebit. O terribile momentum mortis , ex quo dependet una æternitas ! Nemo bis moritur. Quando peccator una vice mortuus est extra DEI gratiam , nullum prorsus ampliùs restat reparationis remedium : erit in æternum miser. O mors in peccato ! quàm parùm homines concipiunt mala , quæ ex te nascuntur , quia parùm admodum concipiunt , quid sit esse *æternum* , & *infernum* , hoc est , unum malum suò modò infinitum !

Conclusio prima , quæ ex hoc principio deduci debet , est : quòd velut summum , imò velut unicum negotium , quod in hoc mundo gerimus , considerare debeamus negotium bene moriendi ; quia in illo de æternitate agitur. Nihil grande

grande est, nisi quod æternum: omne bonum, aut omne malum, quod æternum non est, magni momenti non est; nec nostrum amorem, nec curam meretur. Solum, quod æternum est, nostra desideria, aut metus excitare debet. An non igitur extremæ dementiæ est tantum tempori servire, & ad ea omnes curas impendere, quæ cum tempore defluunt, & in momento evanescent; de æternitate autem, ne cogitationem quidem concipere? Nihilominus tamen vide, obsecro, deplorandam cœcitatem, & stultitiam Sapientum hujus mundi, qui peritura æternis præferunt. An non ego quoque in hoc stupidorum hominum numero censeripossim?

Conclusio secunda, quæ ex hac veritate sequitur, est: omnem esse movendum lapidem, & adhibendam cautelam, ut nobis DEUM, ejusque gratiam conciliemus pro supremo, & terribili illo momento,

quod nostræ initium dabit æterni-  
tati. Nam si omnia totius mundi  
commoda, & prærogativas possi-  
derem, si tunc in gratia DEI con-  
stitutus non ero, omnia erunt per-  
dita, nihil mihi in omnem æterni-  
tatem profutura. Hæc igitur pri-  
ma, & summa mea cura, hic uni-  
cus esse labor debet, eò semper to-  
tis viribus conuerti, ut pro ultimo  
illo momento de gratia DEI me se-  
curum reddam.

Sed hanc finalem gratiam me-  
reri non possum. Quomodo igitur  
de illa me certum reddam? Heu!  
quid mihi proderunt omnes dili-  
gentiæ, quas impendam? nimis ve-  
rum est, mi DEUS, quòd illam me-  
reri non possum. Verùm quia Tu  
tantas mihi indulxisti gratias, etiam  
tunc, cùm illis essem indignissi-  
mus, in eam spem erigor: Te quo-  
que hanc perseverantiæ gratiam,  
cui bona mors affixa est, mihi lar-  
giturum, licet eam non merear.  
Spero etiam de tua infinita Miseri-  
cor-

cordia; Te mihi medium suppeditaturum, quo illam eo, quo fieri potest, modo assequar, hoc est, per vitam sanctam, & ferventem; per virtutum Christianarum, & bonorum operum, fidele exercitium.

Verum omnino est, me non posse hanc gratiam obtinere, nec per meas virtutes, quia fallaces; nec per mea bona opera, quia valde imperfecta, Sed mors illa horrenda & crudelis, quam mei causa subiisti, sanguis ille pretiosissimus, quem pro me ad ultimam usque guttam effudisti, merita illa infinita, quæ pro me collegisti, hanc mihi fiduciam inspirant, jubentque firmissimè sperare, Te ad mortem æternam non condemnaturum, hominem, pro cuius salute infame Crucis opprobrium, & durissimæ mortis sustinere voluisti supplicium.

*O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti*

*in substantiis suis ! Eccl. 41.*

*Quoniam cum interierit, non  
sumet omnia, neque descendet  
cum eo gloria eius. Psal. 48.*

*Exibit spiritus eius, & rever-  
tetur in terram suam: in illa die  
peribunt omnes cogitationes eo-  
rum. Psal. 145.*

## MEDITATIO VIII.

De diversa dispositione  
animam tepidam inter, & ferven-  
tem, cum necesse erit coram

DEO comparere:

sive

De Judicio Particulari.

### PUNCTUM I.

*De morte animæ tepidæ.*

**A** Nimæ tepidæ mors plena for-  
midine, angustiis, & scrupu-  
lis accidet. Causæ tantæ perturba-  
tionis erunt. Primò neglectus  
divinarum inspirationum, quibus  
illa non tantum non respondit, sed  
etiam

etiam pervicaciter restitit. Usus malus Sacramentorum, & exiguus tot Confessionum, & Communio-  
rum fructus. Quid respondebit illa Christo Judici, qui rationem exiget de tot favoribus, & gratiis, quæ ipsi tanti steterunt, & illa tam impudenter contempsit? Heu! tot gratiæ non potuerunt te perfectum Christianum, aut devotum Religiosum efficere, quarum fortè una pro convertendo Pagano, aut Gentili suffecisset!

Secundò magna penuria, in qua se anima tepida deprehendet, sive defectum virtutum statui suo propriarum, quas neglexit, sive bonorum operum consideret: etsi enim aliqua fecerit, quia tamen magnam partem, nec ex mente pura, nec ex solo DEI placendi studio exercuit, vix post longum examen unicam deprehendet actionem ex puro solius DEI amore à se factam, reliqua ferè omnia extra veræ perfectionis tramitem deflexisse agnoscet. Ter-

Tertiò magna defectuum copia, quos vel anima non advertit, vel animi impetus & torpor velut leves depinxerunt. Nunc autem melior æternitatis radius, cui proxima est, oculos ipsi recludet, ut clarè videat, ipsos & graves, & seria consideratione dignos fuisse.

Quartò incertitudo de integritate Confessionum, sinceri doloris, & veri propositi, ob nunquam secutam feriam emendationem; & centum aliarum cogitationes, quæ illam ita perturbabunt, ut ægrè possit curam, & media necessaria adhibere, quibus reparet defectus, qui illius Confessiones potuerunt reddere inutiles, & nullas.

Quintò exigua confidentia in Divinam Misericordiam: unde nascentur timores immoderati Justitiæ, qui animum frangent, & ita implicabunt, ut forsitan etiam necessariam spiritûs libertatem auferant, ne in tam brevi temporis spatio, quod ipsi adhuc superest,

se bene applicare possit ad certam reddendam suam æternitatem.

Dubium denique tam rationale, quàm tremendum, in quo se constitutam deprehendet, an sit in gratia DEI. Heu! qualis horror, qualis debet esse tremor hominis tepidi, tunc, cum intra se ipsum seria cogitatione expendet: certus sum, me, post unius, alteriusve horæ lapsum, non amplius fore in hac vita; certus sum, si in gratia DEI non decessero, me in omnem æternitatem esse perditum; & non solum habeo justam timendi causam, quam etiam piæ, & devotæ mentes habuerunt, me fortè non esse in gratia DEI, sed etiam absolute, & verè dubitandi rationes habeo, an in illa sim! Quàm terribile hoc dubium pro anima, quæ funestos exitus jam jam prospicit, cum videat non de minori, quàm de integræ æternitatis pretio agi? Potèstne esse tam propudiosus tempor, quem hæc cogitationes non elidant?

lidant? Ita, Domine, meus est talis, ut re ipsa se jam prodidit, & prodet se etiam deinceps, nisi per tuam omnipotentem gratiam me animas, ut tibi majori cum fervore serviam.

## PUNCTUM II.

### *De morte animæ ferventis.*

Mors erit plena dulcedine, & solatiô, pro animabus ferventibus.

**P**rimò non affligentur memoriâ suorum peccatorum, quia aut nulla commiserunt, aut, si quæ commiserunt, seriâ jam pœnitentiâ eluerunt: spiritu reddente ipsis testimonium, quòd filii DEI sint. 2. Non torquet ipsas separatio à creaturis, quibus in vita se non affixerunt. Imò summopere gaudebunt: se jam in mortis confinio posse hoc sacrificium DEO præstare. 3. Omnia bona opera, quæ fecerunt, ipsis obiciuntur, non ut sint argumentum vanitatis, sed ut testi-

testimonium confidentiæ , quam repositam habent in DEI Bonitate , quæ cum tantis ipsas cumulârit gratiis durante vitâ , non ipsas deferet in morte ; sed volet coronare suas misericordias , dum vitam illarum piè exactam remunerabitur. 4. Ex una parte imago Crucifixi , quam manu tenebunt , cuique se conformes reddere studuerunt ; ex altera recordatio favorum , quos à Beatissima Virgine , in quam spem suam collocârunt , receperunt , magnum profus lætitiæ , & solatii suppeditabunt stimulum , & motivum. 5. Christus Dominus noster , in hoc momento , animis sibi fidelibus solet intimam profundamque infundere pacem , & tranquillitatem , qua umbra , & horror mortis penitus dissipatur. Denique cum animæ ferventes ardentissimo amore ferantur in Christum ; cupiântque ipsi quàm arctissimè esse unitæ , ideo fit , ut mortem cum gaudio præstolentur ;  
imò

imò quandoque cum quadam pia impatientia, quæ ipsas propè in excessum agit, ut quibusdam Sanctis accidisse, novimus, qui idcirco cum sponsa exclamârunt: *Veni, Veni, Domine JESU.* Ex his omnibus

Concludendum est: omnes curas, & cogitationes eò maxime convertendas esse, ut DEO, majori cum fervore, serviamus, cum hoc sit unicum procurandæ quietæ mortis pharmacum. Nullus hominum est, qui in ultimo illo momento constitutus, non summo opere vellet, ut omnem vitæ suæ periodum, in frangendis indomitæ animi motibus, in reprimendis sensuum illecebris, in perfecto rerum humanarum, & totius mundi contemptu, in constanti sui submissione, in blandientium occasionum fuga, in agenda serâ pœnitentia, in continuis denique Virtutum Christianarum, & bonorum, suoque statui convenienti-

una

um operum, exercitiis, sedulo  
exegisset: Cur igitur nunc non  
præstamus, quod tunc factum tan-  
topere optaremus? Heu! quis  
tunc animi mœror nos occupabit,  
quòd facultate rectè, sanctèque  
vivendi tam malè usi sumus, & op-  
timas acquirendarum Virtutum  
occasiones tam turpiter neglexe-  
rimus: quæ virtutes tunc tanto so-  
lacio, & adjumento nobis esse pos-  
sent? Quis dolor nos invadet,  
cum videbimus, nos ad inutiles  
tantum gemitus redactos, com-  
missos errores amplius nec resar-  
cire, nec emendare posse?

Pone tibi ob oculos mortem tot  
Sanctorum, quorum historiam le-  
gisti; aut aliorum ferventium, &  
piorum hominum, quos sanctè  
decedere vidisti: quæ pax, quæ  
tranquillitas, quod gaudium? an  
non ad hæc exempla cum Prophe-  
ta exclamare poteris? *Moriatur  
anima mea morte Justorum, &  
fiant novissima mea horum simi-  
lia!*

*lia!* Num. 23. v. 10. Verum estne æquum velle vivere vitam sceleratorum, & mori morte Sanctorum? torpescere cum ignavis, & mercedem expectare cum impigris? Concede igitur mihi gratiam, Domine, vivendi cum fervore, ut moriar in pace; vivendi cum vigili sollicitudine, & perpetuo timore, ut moriens spem concipere possim, te possidendi in omnem æternitatem.

*Timenti Dominum bene erit in extremis. Eccl. 1.*

*Beati mortui, qui in Domino moriuntur! amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus. Apocal. 14.*

*Moriatur anima mea morte Justorum, & fiant novissima meorum similia! Num. 23.*

## MEDITATIO IX.

### De Inferno.

*Prelud. 1. Imaginare tibi vastam circum centrum terræ cavernam igne plenam, in qua*

qua videas coniectos Damnatorum Manes,  
totos flammis penetratos, eorumque au-  
dias clamores, ejulatus, blasphemias.

Præ lud. 2. Pete à Dño gratiam bene  
cognoscendi hos cruciatus, ut ita firmissi-  
mum concipias propositum, nihil non a-  
gendi, ut illos evadas.

## PUNCTUM I.

### *Proprietates Cruciatuum ignis infernalis.*

**C**ONSIDERA : omnes cruciatu-  
um inferni proprietates ad tres  
potissimum posse reduci : sunt *u-*  
*niversales*, sunt *continui*, sunt *a-*  
*terni*.

Sunt *Universales*; Nec enim est  
corporis pars, nec facultas animæ,  
quæ non torqueatur. Ipsorum o-  
culi cruciantur spississimis tenebris,  
ad quas æternum sunt condemna-  
ti. Ipsorum aures horrendis Dam-  
natorum clamoribus, ululatibus,  
& blasphemis flagellantur. Gu-  
stus rabiosa fame, & ardentissima  
siti; odoratus intolerando fœtore;  
tactus

tactus vehementissimo ignis æstu, conficiuntur. Ignis iste acerrimè urit, sed non illuminat miseros, nisi ut suppliciorum suorum auctores, & instrumenta conspiciant: devorat, & non consumit: non tantùm in corpus, sed etiam in animam vim suam exerit, eamque accommodat gravitati, & multitudini delictorum. Tantâ porro vehementiâ desævuit, ut ignis iste sublunaris, si cum ipso comparetur, non nisi pictus, fictusque videatur.

Imaginatio ipsorum, horribilium visu spectrorum concutietur. Appetitus mille gravissimis fastidiis dilacerabitur, pudore, dolore, timore, tristiciâ, pœnitundine, rabie & desperatione. Memoria turbabitur recordatione gratiarum, quibus abusi sunt, & peccatorum, quæ commiserunt. Voluntas exagitantur perpetuo contrariorum inter se desideriorum, conflictu.

*Qua major calamitas, inquit*

S. Ber-

S. Bernardus, *quàm semper velle, & quod nunquam erit; & semper nolle, quod semper erit.* Ipsi semper volunt liberari ab his pœnis, & nunquam liberabuntur: semper nolunt illas pati, & sustinere, & tamen cogentur semper pati, & sustinere. Intellectus deniq; ipsorum affligetur continua applicatione ad suum malum, tristi, & inutili consideratione æternitatis integræ, qua supplicia ista durabunt, quorum cogitatione, sine ulla cessatione & occupabitur, & torquebitur. Post hæc an non merito exclamare poterò cum Propheta: *Heu Domine! quis novit potestatem iræ tuæ?* Psal. 89. v. 11.

Secundo: hæc pœnæ erunt *continua*, nullo, ne quidem minimo, intervallo interruptæ; quia DEUS ipsarum auctor, & dæmones executores, nunquam fatigantur, & qui tolerant, semper subsistent. Infernus semper per omnem æternitatem erit idem, qui fuit illo mo-

E

men-

mento, quo anima in ipsum precipitata est. Per omnem æternitatem infelicissimo illi Epuloni Evangelico gutta aquæ negabitur, qua sitim suam nonnihil mitiget; & tamen, quàm exile hoc solati-um est?

Tertiò: erunt *æterna*. Levissima acûs punctura, situs corporis parùm commodus, minimum denique malum evadit intolerabile, si æternum. Quid ergo fiet cumulus malorum, quæ descripsimus, semper, & in æternum perseverantium? Æternitas est, quæ facit Infernum, cum damnati cogitabunt, se, post tot annorum miliones, quot spatium, cœlum inter & terram, grana arenæ capere poterit, vix adhuc cœpisse horrenda isthæc supplicia subire.

O Æternitas, abyssus sine fundo, immensitas sine limite! O æternitas Inferni, quàm parùm homines de te cogitant! & ideo tam leviter se exponunt calamitatibus, quæ te

sequuntur, & quarum magnitudinem tum primum expendunt, quando miserrimum in modum illis oppressi, effugium amplius nullum invenire possunt.

## PUNCTUM II.

*Animadversiones super his  
veritatibus.*

**P**Rima est. Abominanda prorsus res sit peccatum mortale, necesse est, postquam DEUS infinite Sapiens, infinite Justus, infinite Bonus, qui tantopere dilexit homines, ut pro ipsis etiam in cruce mori dignatus sit, tamen illos ipsos homines ob unum solum peccatum mortale, ad supplicia tam horrenda condemnat, & quidem in omnem æternitatem. Concepistine huc usque, quid sit peccatum? hoc te docebit consideratio ignis infernalis.

Secunda. Estne homo in mundo, qui vellet pro acquirendo integro Regno supplicium ignis per-

octiduum sustinere? Estne homo, qui post horæ quadrantem huius tormenti non revocaret pactum, si quod fecisset? & nihilominus quàm plurimi sunt, suo sensu perquam prudentes, qui se quotidie exponunt, sine ulla seria consideratione, periculo ignis semper devorantis, nunquam confumentis, qui est ultimus Divinæ iræ partus, in quo ardebunt non tantum per mensem, per annum, sed per omnem æternitatem. Potestne concipi, aut major cœcitas, aut pinguior stupiditas? Voluptas momentanea, exiguum honoris punctum, levissimum lucellum magis nos afficit, quàm irreparabilis jactura nostræ animæ. Profectò aut homines non credunt Infernum, aut rationis expertes sunt; cum timeant magis mala minima, ad quæ evitanda tantâ cautelâ utuntur, quàm summum omnium malum, quod est damnatio æterna.

**Tercia.** Quoties jam meritus es  
Infer-

Infernum? toties nimirum, quoties peccatum mortale commisisti. Quot sunt, qui nunquam tot commiserunt actu, & tamen jam in Inferno horrendum in modum exuruntur? Unde venit, quòd DEUS hoc inter te & illos discrimen fecerit? unde venit, quòd illos tanta, cum severitate, te autem tanta cum misericordia exceperit? fuisse aliquando commeritus hanc gratiam? nihil minus: quin potius meritus es pœnas, & quidem pœnas æternas. Quantopere igitur obstructus es huic Misericordiæ? quos non amoris, & grati animi sensus concipere debes? prorumpendum tibi est cum Propheta in has voces: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psal. 88. v. 2.

Si DEUS damnatum liberaret ex Inferno, quas non, putas, gratiarum actiones, quanta æternæ obligationis argumenta DEO talis se debere profiteretur? An tu minus debebis, quòd, ne illuc prolapsus

sis, ipse impediverit? & fortè minus obstrictus eris illi, qui, ne in carcerem rapereris, cum jam captus esses, fortiter obstitit, quàm illi, qui te, jam carceri mancipatum, rursus exemit?

Ah! quàm aspectus ignis infernalis capax, & efficax est, ut ignem divini amoris accendat in corde, quod nondum omnem prorsus sensum exuit!

Quarta. Possétne homini, quem DEUS ex inferno liberâisset, grave accidere, pœnitentiam, ipsi loco inferni impositam, peragere? planè, etsi gravissima esset, ipsi levis, lenisque videretur. An non tu hujus debes esse mentis? Nihil non leve, nihil non suave est homini, inquit S. Bernardus, qui, quas meritus est, inferni pœnas meditatur.

Quinta. DEUS te ita liberavit ex inferno, ut tamen in illum relabendi quotidianum tibi instet periculum. An non idcirco in perpetuo

petuo timore, & tremore vivas, necesse est? An non omnem, quam poteris, maximam adhibere debes curam, & diligentiam, ut hanc miseriam evites? Nihil nimium est, quidquid ages, & tolerabis, ut evadas. Ita, mi DEUS, nolo, ut mihi in hoc mundo quidquam indulgeas, modò in altero ignoscas. Hic ure, hic seca, & quibusvis huius vitæ miseris corpus, & animam meam exerce, modò mihi parcas in æternum.

*Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Isaia 33. v. 14.*

*Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat. Gregor.*

*Nulla ibi satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.*

## CONSIDERATIO III.

### *De Confessione.*

I. **S**I quotidiano examine diligenter

genter conscientiam tuam excutias, nullam, te ad Confessionem præparandi, experieris difficultatem. An non tua in tam sancto exercitio negligentia facit, quòd aut differas, aut tanta cum difficultate Sacramentum Pœnitentiæ accedas?

II. Putásne, quòd illa præparatio ad sacram Confessionem bona, aptaque sit, quæ rara? An tum bene operari discimus, cum raro operamur? Non se bene ad recuperandam valetudinem disponit, qui remedium differt, & morbo spatium relinquit. Putásne, hoc in negotio, morâ & tardo molimine difficultates imminui? aut potius existimas, malos tuos habitus, & pravas consuetudines fortiores acturas radices? Eò certè difficilius te ipsum intrabis, & numerum, ac conditionem peccatorum tuorum deprehendes, quò longiùs quotidie à DEO recesseris. Sic enim longior tibi via remetienda erit, donec

donec ad illum revertaris. An non ipsa experientia docet, nullum esse conservandæ puræ conscientiaæ medium potentius Sacramentô Pœnitentiæ, quod ideo institutum est, ut nos mundet? Videmus etiam plerunque rariùs in graviora delicta impingere illos, qui illud frequentius obeunt.

III. Verùm, super omnia, quæ potes differre Confessionem, infestâ vel uno solo peccato mortali conscientiaâ? In hoc statu potesne quietè somnum capere, si cogites: te scopum esse odii, & iræ Divinæ, hoc est, odii infiniti, & iræ omnipotentis; atque interea penes te sit, hoc odium tollere, hanc iram placare? Si animô reputes: inevitabilem tibi esse infernum, & æternam miseriam, in hoc statu decedenti, & te omni momento mori posse? Tranquillitas Peccatoris in tanto periculo res est, quam nemo cogitando assequetur.

IV. Cùm te exhortor; ut frequen-

quenter accedas sacrum hoc tribunal, nolim, id putes ex consuetudine, & non cum magna præparatione, esse præstandum: oportet esse accuratissimum in hac re, è qua propè unicè dependet salus nostra; siquidem duæ tantùm sunt ad Cælum viæ, Innocentia, & Pœnitentia. Et quis tam felix est, ut primam teneat? non ergo nisi secunda nobis superest.

V. Oportet incipere ab examine, & indagatione nostrorum peccatorum, quæ exacta esse debet, & respondere longitudini temporis, ex quo non confessi sumus; facilitati, qua peccamus; minori, aut majori diligentia, & curæ, quam de nobismet ipsis habemus. Duo autem hic cavenda sunt extrema, quorum alterum est illorum, qui rarò admodum accedunt tribunal Pœnitentiæ, & post commissum infinitum propè peccatorum numerum, sibi persuadent, unam, alteramve horam examinandæ

nandæ conscientiæ sufficere. Hi certi, convictique esse debent, insignem hanc negligentiam nihil coram Deo excusationis allaturam, si gravioris alicujus peccati, ut facile accidere potest, obliviscantur.

Alterum illorum, qui sæpe quidem confitentur, sed post exactam omnium suorum peccatorum investigationem, implicant se, & inquietos reddunt ex immodico timore, ne fortè alicujus obliti sint, & ideo tempus, quod excitando vero dolori, & formando firmo proposito impendere deberent, scrupuloso, & inutili examine terunt. Prima proinde, & potissima in eliciendo vivo de peccatis dolore, & forti in illa non amplius relabendi proposito, cura ponenda est. Ex defectu enim hujus doloris, & propositi longè plures Confessiones nullæ, & sacrilegæ redduntur, quàm ex defectu integritatis. Frequenter igitur, & enixè hæc gratia à Deo petenda est;

quia facile possumus offendere DEUM sine DEO : sed offensam detestari , & de illa rectè dolere , sine DEO non possumus.

Vellem ego , ut semper pridie , antequam quis Sacramentum Pœnitentiæ accedit , frequenti mentis ad DEUM elevatione , cor contritum , & verum de peccatis dolorem postulareret , atque in hunc finem eleemosynas faceret , aut aliquos , sui subigendi studiô , pœnitentiæ actus exerceret ; sacratissimum etiam Eucharistiæ Sacramentum visiteret , & ibi cum Magdalena ad pedes JESU Christi prostratus , suas misérias , fragilitatem , & extremam imbecillitatem , devotô , & humili , efficaci tamen , silentiô DEI Filio exponeret ; atque ita instar decumbentis Paralytici ad piscinam , motum aquæ , hoc est , gratiam veræ Pœnitentiæ , expectaret.

Verùm , tametsi quis vivum de peccatis suis dolorem concipere ,  
debeat,

debeat, necesse tamen non est, ut ipsum sentiat. Nec enim semper securissimus, & intensissimus dolor est, qui sensibilis; cum temperamenti, aut imaginationis partus esse possit. Multorum hic est error, circa hoc inani cura laborantium. Si quis fecit, quod potuit, oportet quiescere. Hæc sollicitudo, & nimium desiderium, quo quis de sua contritione se certum cupit, frequenter nascitur, vel ex amore proprio, qui certitudinem vult, ubi nulla haberi potest; vel ex occulta aliqua superbia, qua terribilem illam incertitudinem, cui DEUS nos subjecit sustinere non potest; vel ex minori in DEUM, ejusque infinitam Misericordiam, confidentiâ.

Firmum, & efficax animi propositum non amplius committendi peccata, non minus necessarium, nec minus rarum est, quam ferius, vivusque de commissis dolor. Ideo ad hoc præcipue incum-

bendum est, ut non tantum vagum aliquod, & volatile propositum, quod in nihilum tendat, concipiamus. Sed advertendus est animus ad ea potissimum peccata, quibus maximè implicamur, & ad media, quæ propria magis, & emendationi procurandæ utilissima videbuntur. Ex defectu talis propositi oriuntur frequentes isti in eadem peccata relapsus, qui meritò pœnitentiam nostram reddunt suspectam; cum videri possimus, non confiteri, nisi ut peccemus; nec peccare, nisi ut confiteamur.

Nec tamen ideo relapsus in eadem peccata, præsertim si gravia non sint, infallibile argumentum haberi debet propositi minus sincerè, & efficaciter suscepti, cum pœnitentia nos non reddat impeccabiles; in quo Animæ quædam devotæ frustra se torquent. Non est necessarium ad probandam propositi nostri sinceritatem, ut non amplius in priora recidamus peccata,

cata, sed ne tam frequenter, & cum tanta deliberatione, quin statim de iis doleamus, & nosmet ipsos promptè rursus erigamus. Post has omnes præparationes, accede ad Sacramentum Pœnitentiæ, velut ad sacrum quoddam balneû, in quo lavêris in sanguine JESU Christi, ut ita à fordibus tuis munderis; vel ad alterum Calvariæ Montem, ubi ipse effundat super te sanguinem suum, ut ejus tibi pretium applicet. Contemplare in persona Sacerdotis JESUM Christum, cujus locum ille occupat; atque ita accede cum debito respectu, amore, confusione, dolore, metu, & fiducia. Enarra deinde peccata tua modestè, & sincerè. Non illa scrupulosè exaggeres, nec variis historiis, & ad rem non pertinentibus narratiunculis, involvas. Nihil excuses per superbiam, nihil dissimules, aut celes per noxium pudorem, qui facit, ut in quibusdam fat gravibus  
ma-

materiis peccata consideratione digna cursim, & leviter exponantur, cum interim levissima quæque accuratè explicentur. Denique non omittas circumstantias, quæ speciem mutant, aut ipsa peccata graviora reddant.

Post confessionem audi, quid Sacerdos tibi suggerat, perinde ac si JESUS Christus tibi loqueretur; & cave à periculosis illis illusionibus, quibus aliqui decepti, mentem tunc aliò vertunt, & cogitant, an nullius peccati obliti sint. Pœnitentiam, quam tibi imponit, magno pietatis, & grati animi sensu admitte, quòd DEUS tam levi satisfactione, pro tam gravibus delictis, aquiescat. Absolutionem excipe velut à Christo datam, magna cum reverentia, & integrâ in ejus merita confidentiâ, quæ ipsemet tibi tunc applicat. Denique qua poteris devotione, recede à pedibus Sacerdotis, & pœnitentiam tibi injunctam promptè, exactè-  
que

que perfolve. Habes, quid tibi  
præstandum fit; Vide, an huc uf-  
que id præstiteris.

LECTIO  
Pro tertio Die

Ex S. Scriptura. Cap. V. Lib. Sap. & Cap.  
XVI. ex S. Luca.

Ex Lib. de imit. Christ. Cap. XXIII. &  
XXIV. Lib. I.

Ex Duce Peccat. Lud. Granat. Cap. VII.  
VIII. & X. Lib. I.



DIES

## DIES QUARTUS.

## DE REDITU

## ANIMÆ

*Ad DEVM per Pœni-  
tentiam.*

Fieri vix potest, ut animæ, post expensum bene obligationis suæ pondus, quo ad DEUM velut ultimum suum finem continuo tendere tenetur; post considerata item obstacula, quibus ab hoc motu avertitur; denique post agnitam miseriam, & funestos erroris sui effectus, non ardenti tangatur desiderio, redeundi ad DEUM: quod cum fieri sine Pœnitentia non possit, ideo hæc quarti hujus diei, & sequentium trium Meditationum occupatio, & materia erit.

Prima igitur ager de necessitate Pœnitentiæ.

Secunda ostendet, quàm hæc necessitas sit universalis.

Tertia afferet motiva Pœnitentiæ.

**MEDITATIO X.**

**De necessitate agenda**

**Pœnitentiæ, ut quis revertatur  
ad DEUM.**

Materiam hujus Meditationis suppeditabit Parabola descripta à S. Luca c. 13. his verbis: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & vênit quærens fructum in ea, & non invênit. Dixit autem ad Cultorem vineæ: ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat? At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora: & siquidem fecerit fructum: sin' autem in futurum succides eam.

Præ lud. 1. erit in memoriam revocare hanc Parabolam.

2. Petere à Dno gratiam penetrandi bene ejus sensum, & inde fructum hauriendi.

**PUNCTUM I.**

**C**onsidera 1. positum te esse in hoc mundo instar arboris, quam tamen peccati Originalis labes

bes sterilem, exsuccam, & penitus corruptam reddidit, ut jam ad nihil amplius utilis esset, quàm ut in ignem æternum conjiceretur. Sed DEUS ex misericordia prorsus singulari, & secreto quodam Divinæ suæ Providentiæ consilio, infinitæ aliarum creaturarum multitudinē te prætulit, &, ut ita dicam, intra Ecclesiæ suæ, vel etiam Religiosi Ordinis (si quidem hanc etiam gratiam indulserit) septa, velut in fertilissimum campum transplantavit, ut illic dignos pœnitentiæ fructus proferres.

Confidera 2. terram istam, in quam transplantatus es, terram esse cultam laboribus, & irrigatam sudore, imò sanguine ipso HOMINIS - DEI; quam quotidie Divinus Justitiæ Sol suis radiis illustrat, & inflamat; quæ hac ipsâ culturâ, qua tu frueris, protulit, & adhuc singulis diebus profert pulcherrimas arbores, hoc est, Animas Illustres, quæ sanctè vivunt, &  
 omnis

omnis generis fructus bonorum operum progerminant.

Recole nunc omnem tuam vitam, & deprehendes: te arbori fici, de qua Parabola meminit, quam simillimum esse, cum animam geras bonis operibus destitutam; cum nullas adhuc virtutes collegeris statui tuo debitas; cum satis tibi fuerit nuda progignere folia, id est, eternam aliquam speciem oculis objicere, qua homines, imò etiam te ipsum decepisti, cum te ex virtutis lege agere existimasti, quod aut naturali inclinationi, aut humano respectui tribuisti.

Præterea in omni vitæ tuæ cursu ita te gessisti, ac si creaturis tantum, quæ exterioribus capiuntur, non autem Deo, qui cor penetrat, & intima rimatur, placere, & servire deberes. Christus Jesus frequenter ad te invisit, ut videret, an aliquem pœnitentiæ fructum in te reperiret. Sed expectatione sua deceptus, nihil nisi folia invenit,

nit, aut fructus pomis Gomorrhæis  
similes, quæ sub pulchro cortice  
cinerem, & putridam favillam te-  
gebant. An non meritò te per-  
stringere poterit justo illo vitupe-  
rio, quo olim apud Prophetam vi-  
neam suam reprehendit: *Quid  
est, quod debui ultra facere vinea  
mea, & non feci ei? an quòd ex-  
spectavi, ut faceret uvas, & fe-  
cit labruscas?* Isaia 5. v. 4. Quid  
poteris huic reprehensioni re-  
spondere?

Ah Domine, nihil penitus repo-  
nere possum, quàm me ingratum  
fuisse! dolore, & lacrimis respon-  
dere possum. Spero tamen, Do-  
mine, Te, qui hæc sensa, hanc mi-  
hi mentem instillasti, non permis-  
surum, ut sine fructu evanescant.  
Spero etiam: has meas lacrimas,  
te auctore expressas, & contriti  
cordis mei testes, tuum quoque a-  
nimum emollituras, ut mei mise-  
rearis, & aptum agenda pœniten-  
tiæ tempus concedas.

PUN-

## PUNCTUM II.

CONSIDERA : quam DEO, & tibi  
C ipsi injuriam intuleris, quibus  
te subjeceris miseris, dum vitam  
hucusque tam sterilem, & fordi-  
dam duxisti? Non solum DEUM  
magnâ gloriâ, Christum fructu  
suæ mortis, & sanguinis pro te ef-  
fusi, Spiritum Sanctum honore de-  
bito pro tot gratiis, quibus te præ-  
vênit, Ecclesiam, omnesq; Fideles  
bonô exemplô, te ipsum infinitô  
meritorum thesaurô, quem com-  
parare potuisses, privasti; sed e-  
tiam DEUM contempsisti, Servato-  
rem tuum rursus cruci affixisti,  
Spiritû Sanctum affixisti, te ipsum  
in gravissimum Divinæ vindictæ,  
illiusque terribilis sententiæ in ar-  
borem infructuosam vibratæ, pe-  
riculum coniecisti.

Imaginare insuper tibi, feren-  
dam in te sententiam, quam Pater-  
familias contra ficum pronuntia-  
vit: *Succidite ergo illam, ut quid  
etiam*

*etiam terram occupat?* Heu! Domine, quàm terribilis est ista sententia in se ipsa! mihi verò quàm terribilior, quia in me fulminare videtur! Ego enim arbor sum non sterilis tantum, & fructibus vacua, sed penitus destructa, & corrupta, ad nihil amplius utilis, quàm ut in ignem mittatur. Ignoro fanè: an non in occulto, nec minis justo, ac inscrutabili tuo iudicio contra me dictata jam sit sententia? An non mihi quoque timenda sit funesta illa calamitas, quæ plures alios obruit, qui in mundo boni, honestique putabantur; quibus secreta vanitas, tecta quædam propriæ existimationis cura, & pagana probitas pro virtute fuit; sed re ipsa arbores steriles, & putredine infectæ erant, quæ sub pulchro schemate incompósitos fovebant affectus? Ah, ubi opportunum evitando huic malo remedium inveniam? Utinam haberem aliquem Evangelici hujus Intercessoris,

foris, sententiam in ficum fulminatam suspendentis, æmulatorem, qui hanc ipsam mihi præstaret charitatem, & quam meritus sum, maledictionem aut averteret, aut saltem teneret suspensam! Et ad quem me convertam, nisi ad te, Angele mi Custos, qui à primo vitæ meæ exordio fidelem mei custodiam suscepisti, & constanti zelô me protexisti, etsi me tibi parùm gratum, fidelémque probârim? Spero: te pro me cautionem præstiturum, & de tua in me cura, & de mea erga te fidelitate responsum: sed quia de altero securus, de altero minimè certus sum, rogo te: impetres mihi efficacem illam gratiam, quæ duritiem humani cordis flectere, & gravissimos etiam peccatores ad pœnitentiæ fructus producendos emollire solet.

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 3.*

*Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13.*

## MEDITATIO XI.

Pœnitentiam non tantum magnis Peccatoribus, sed etiam Animis tepidis esse necessariam.

Pro primo Præludio, imaginare tibi: Christum Dominum te illis Apocalypseos verbis alloqui: *Vinam frigidus esses, vel calidus! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Apoc. 3. v. 15. & 16.*

Pro secundo Præludio, petes à Deo gratiam, qua bene expendas veritatem terribilium illorum verborum; ut firmum concipias propositum, te quamprimum expediendi à periculoso hoc statu, si quidem in illo animam tuam constitutam esse, deprehendas.

## PUNCTUM I.

*De periculo, in quo Anima tepida constituitur, nisi pœnitentiam agat.*

**C**onsidera seriò rationes, & motiva

tiva, quæ Christum impellunt, ut præferat statum animæ frigidæ, statui animæ tepidæ.

Ratio prima est: quòd iste sit status cœcitatæ, causatæ ab indomitæ animi motibus, qui animæ tepidæ dominantur; causatæ per continuam dissipationem, in qua vivit, quæ impedit, ne se ipsam inspiciat; per multitudinem peccatorum venialium, quæ illa committit, & per subtractionem luminum, quibus resistit. Hæc porrò cœcitas facit, ut quis sibi formet falsam conscientiam, sub cujus tegmine anima, velut in tuto loco posita, quamvis alias frequentet Sacramenta, plures annos exigit in peccatis, sua consideratione, dignis, quæ tamen cœca passio aut abscondit penitus, aut certè obvelat; quia, ut se corrigat, nec sat voluntatis, nec sat animi habet. Videbis non rarò, homines Religiosos, vel etiam Mundanos, qui aliquam profitentur pietatem, nutrire se-

creta quædam odia, æmulationes venenatas, periculosos affectus imò & sceleratos, spiritum contradictionis, & murmurationis contra Superiores, fundum quendam proprii amoris, & superbiæ, qui se effundat in omnes illorum actiones, atque alios hujus farinae defectus; quos inter velut in tranquillo portu vivunt, falsòque sibi persuadent, nihil illic gravioris criminis latere; quin & rationes quarunt, quibus similes errores elevent, & excusent: quos interim DEUS, velut gravia peccata, condemnat, & condemnabunt, aliquando ipsimet, quando in ultimo articulo, propinqua mors spirarium reducet, & nulla passio mentis oculos turbabit, quin omnia, ut in se sunt, intueantur. Heu Domine! hic tenerioris conscientia defectus, hæc relabendi semper in eadem peccata facilitas, hæc eadem iterum, iterumque confitendi consuetudo, sine ulla emenda-

dationis fructu, an non signa sunt alicujus latentis, & quidem gravioris peccati, ex quo hæc cœcitas, & quidquid malorum ex illa sequitur, scaturiat?

Secunda ratio est: quòd reperiantur Animæ, quas DEUS ad sublimem perfectionis gradum evectas vult, & si ipsæ non laborent, ut illuc enitantur, periclitantur de sua salute. Solida hæc, & in Sacris Literis firmata veritas est. Dominus noster minatus est suis Apostolis: nisi converterentur, & renuntiarent ambitioso prærogativæ desiderio, quod quandam inter ipsos zelotypiam excitaverat, ipsos nunquam intraturos in Regnum Cœlorum. Et S. Theresiæ locum ostendit, in Inferno ipsi præparatum, nisi abruptisset affectus minùs defæcatus, qui, etsi ad peccati mortalis malitiam minimè accesserant, quia tamen sublimi illi consilio, quod DEUS de ipsa conceperat, obicem posituri erant, ipsam in ul-

timum exitium rapuissent. Nul-  
lum igitur erat pro Theresia, ex  
Divino Decreto, medium, utpote  
quæ vel inter Seraphinos in Para-  
diso, vel inter Dæmones in Tar-  
taro collocari debebat. Quis scit,  
an non simile quid DEUS de me  
statuerit? Certè sanctæ illæ, &  
frequentes inspirationes, quæ me  
semper monent, & vellicant, ut  
me totum tibi committam, Domi-  
ne, & vincula rescindam, quibus  
me creaturæ tenent, id clarò sat  
argumentò testantur; quibus cum  
ego, ex mea fœcordia, non respon-  
deam, nec debitum morem ge-  
ram, faciunt sanè, ut timere debe-  
am, ne me altiori tuo, quod de me  
formâsti, proposito incautè op-  
ponam, & ita me perditum eam.

Tertia & ultima ratio est: quòd  
pro pernicioso tepidæ mentis statu  
propè nullum supersit remedium.  
1. Quia peccata, quæ animæ te-  
pidæ committunt, non sunt ita cru-  
da, & scandalosa, ut primo suo a-  
spe-

spectu animis paulò timidioribus statim horrorem incutiant; sed quia tantùm interna sunt, & plerunque in solo corde morantur, facile effugiunt oculos conscientia minus teneræ, & ad se parùm attentæ; ita ut, cùm illa non cognoscat, de remediis etiam non sit sollicita. Contrà magnus quidam peccator, uti morum suorum perversitatem facile notat, ita citius illius horrore percellitur, & de remedio circumspicit. Atque in hoc sensu Dominus noster dixit: præstare esse frigidum potiùs, quàm tepidum. 2. Quia tepor omnia ferè remedia reddit inutilia, partim quia exiguus profectus, quem anima tepida huc usque ex illis hausit, extinguit desiderium illis deinceps utendi; partim quia illis jam assueta, illorum vires non ampliùs sentit; & cùm grandes illæ, & terribiles veritates, de procuranda amittendaque æterna salute, sua novitate, & robore maximos quos-

que peccatores concutiant, & prosternant, in animo tepido vix amplius vim habent, quia jam sæpius auditæ, & semper inutiliter rejectæ.

Verùm, mi DEUS, si hoc malum remediò caret, quæ misero mihi, ex hac labe decumbenti, spes superest? Certè nulla, Domine, nisi scirem, te posse, quòd hominibus impossibile videtur, & nullum esse morbum tam insanabilem, & desperatum, qui, te Medico tam bono, tam benevolo, curari non possit. Tuum igitur erit, mi Servator, malis meis medicinam adhibere, & animam meam præparare, ut illâ rectè, utilitèrque utatur.

## PUNCTUM II.

### *Indicia Teporis.*

**P**ostquam in primo puncto vidimus pericula, quæ tepor concit-

cit. Nunc in hoc examinandus est præsens animæ tuæ status. Quem ut probè inspicias, proponenda sunt tibi signa & indicia, ex quibus, velut ex suis effectibus, ipsum cognoscas. Primum igitur est magna in obeundis exercitiis spiritualibus negligentia: nempe preces sine attentione, confessiones sine emendatione, communionem sine præparatione, fervore, & fructu peragere. Secundum, perpetua dissipatio spiritûs, noxia libertate ad obvia quævis, & mille nugas se effundentis, nullo ferè aut sui, aut DEI habito respectu. Tertium, malus habitus omnia tantum faciendi ad gustum ex consuetudine, aut ad proprium placitum sine interno stimulo; ita ut si quis seipsum bene excuteret, vix inter omnes totius diei, aut etiam integri mensis actiones, unam reperiret purè, & unicè propter DEUM exercitam, de qua non suam quoque partem aut consuetudo,

aut naturalis proclivitas, aut respectus humanus, aut alia quædam animi affectio sibi vendicaret. Quartum, quædam pigritia in comparandis virtutibus statui suo propriis. Quintum, nausea rerum spiritualium, cum nimirum jugum Christi incipit esse grave, & exercitia pietatis fiunt onerosa; cum doctrina Evangelica de sui ipsius odio, de amore crucis, de humilitate, de necessitate se ipsum subigendi, & per viam arctam incendi, videntur esse incomprehensibilis difficultatis, & exercitium virtutis propè impossibile. Sextum denique, obductus quidam conscientia callus ad res parvas, cum quis facile, & positò studio, committit omnis generis peccata venialia; cum quis in mille obviis casibus magis creaturis, quàm DEO placere studet, nec horret, se sine scrupulo objicere occasionibus periculosis.

Heu, anima mea! an non depre-

prehendis in te quædam, vel potius omnia hujus teporis indicia, quæ tibi timorem injiciant terribilium, quæ inde sequuntur, discriminum? Ita, Domine, agnosco fanè, & sincerè fateor: quid enim coram te audeam dissimulare? aut cur mihi velim blandiri, ut me ipsum decipiam, & perdam? Verum omnino est, me huc usque in miserabili hoc teporis statu vixisse, tantò majori cum periculo, quantò minus funestos ejusdem effectus & agnoscebam, & timebam. Nunc autem, cùm per tuam gratiam videam periculum, cui expositus sum, præbe mihi auxilium necessarium, quo, mutata vitæ meæ ratione, illud effugiam. Fac, Domine, ut justo tanti mali metu perculsus, superem vanos illos timores, qui me impedire possent, ne tibi serviam eo fervore, qui longè antecedit illam ignaviam, quam ad hoc usque tempus in tuo servitio prodidi.

*Spiritu ferventes, Domino servientes. Rom. 12.*

*Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. Jerem. 48.*

## MEDITATIO XII.

De misericordia, & bonitate, qua DEUS Peccatorem quaerit, & recipit ad poenitentiam; quaerviunt pro motivo ad Contritionem, & perfectam Poenitentiam.

### PUNCTUM I.

*De Bonitate, qua Deus Animam peccatricem quaerit.*

CONSIDERA infinitam misericordiam, qua DEUS usque eò se demittit, ut primus ipse vilissimam creaturam, à qua offensus fuit, quaerat. Hoc sanè est, quod Regium Psalten in admirationem rapuit, & exclamare coëgit: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia visitas eum?*  
Psal.

Psal. 8. v. 5. Hæc porrò indagatio, qua DEUS animam peccatricem quærit, quatuor præcipuè dotibus excellit, quæ ipsam infinitè amabilem reddunt, ut meritò cor nostrum percellere, & penitus expugnare debeat.

Prima est: quòd, postquam ipsum offendimus, tamen ipse primus nos quærat. Nec enim nos vel unicum gressum versus ipsum movere possumus, nisi ipse nos suâ gratiâ præveniat. Possumus quidem ex nobismet ipsis ab ipso recedere; sed rursus ad ipsum accedere, nisi ipse nos traxerit, ex nobismet ipsis non possumus. Quæ, obsecro, Bonitas! Quis unquam audivit, esse hominis offensi, requirere illum, à quo offensus est? Quis Regum aliquando rogavit læsæ majestatis suæ reum, ut gratiam suam reciperet? Et tamen hoc facit DEUS, cum animam peccatricem ad pœnitentiam invitat. Sed fuitne aliquando homo tam sceleratus,

ratus, qui ipsius gratiam repudiaret? Ah! hoc est, quod ego, Ô mi DEUS, toties feci, quoties agere pœnitentiam recusavi. Qualis cœcitas! qualis animi ingrati nota!

Secunda: quòd DEUS nos quærat tanta cum sollicitudine, cum tamen nobis minimè opus habeat. Licèt enim omnes æternùm periremus, DEO penitus nihil aut de sua magnitudine, aut de sua gloria, aut de sua felicitate decederet. Nihilominus, si viam modùmque observes, inquit S. Thomas, quò DEUS peccatorem quærit, diceres: hominem esse DEUM ipsius DEI, & hujus felicitatem ab illo dependere. Quod abunde docet Parabola de bono Pastore, qui in deserto reliquit 99 oves, ut in unam unicam aberrantem inquireret, nec passus est se absterreri à labore, nec à longitudine, nec ab itineris difficultate. Et postquam illam invenit, sine ullo indignantis animi signo complexus est illam, & in hume-

meros sublatam ad gregem suum  
reduxit; quin & vicinos invitavit,  
ut sibi de inventa ovicula gratula-  
rentur.

Tertia: quòd, cum Dominus,  
& DEUS sit, quærat animam pecca-  
tricem tanta cum indulgentia. Ac-  
comodat enim se ipsius genio, fra-  
gilitati, & inclinationi. Observat  
tempus opportunum, & in omnes  
se formas componit, ut se possit in  
animum peccatoris insinuare.  
Quod clarissimè apparet ex histo-  
ria de Samaritana, & ego ipse cen-  
ties in me ipso expertus sum.

Quarta denique est, quòd DEUS  
quærat constanter. Quanto tem-  
pore, ô mi DEUS, me jam urfisti  
per tuas inspirationes, ut ad te redi-  
rem? Quoties in me indagasti, e-  
tiam cum in medio turpitudinum  
& scelerum meorum luto hare-  
rem? Et ego te ferè semper repuli.  
Nunc denique, mi DEUS, necesse  
est, ut tibi arma cedam. Certè  
cor obstinatum, & omni humano  
sen-

sensu destitutum gererem, nisi tam amabili indagini acquiescerem, & cum Propheta exclamarem: Domine, erravi, sicut ovis, quæ periiit. Psal. 118. v. 176. Nunc me tibi totum, Domine, cedo, nunquam à te ampliùs recessurus.

## PUNCTUM II.

*Bonitas, qua Deus Peccatorem recipit, adumbrata per Parabolam Filij prodigi.*

**C**onsidera: Filium prodigum, fastidita paterna domo, petiisse, sibi dari portionem suam; qua obtenta, profectus est in regionem longinquam, ubi vitâ in omnem licentiam effusâ, dissipavit omnem substantiam suam, ita ut ad incitâ & famem redactus, adhærere coactus sit cuidam Civium illius regionis, qui illum misit in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem de filiquis, quas porci manducabant, & nemo

mo illi dabat. In se autem reversus, dixit: quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus? & ego hic fame pereor! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me, sicut unum de mercenariis tuis. Surrexit igitur, & venit ad Patrem suum; quem cum Pater conspexisset, confestim accurrit, & amplexus est eum, quin vel unico verbo impotentem ipsius libidinem castigaret. Sed solutus in teneras lacrimas, stola prima ipsum indui, & quamprimum magnificum instrui convivium jussit, quo amicos, & vicinos excepit, conceptique ob recuperatum filium, gaudii participes fecit. Applica nunc hanc parabolam, &

Confidera, qua ratione tu DEUM, optimum omnium & amantissimum Patrem deserueris, quove modo bonis, quæ tibi concessit, tur-

turpiter in ipsius offensam abusus  
 sis. Considera præterea: DEUM,  
 ex singulari sua bonitate, permisit  
 se, ut usus amorque creaturarum  
 te minimè fatiaret; sed insperata tuis  
 voluptatibus quadam amaritie, aut  
 immissa tibi aliqua afflictione, id  
 effecisse, ut ad te redires, teque  
 cognosceres non ideo natum, &  
 in amplissimo hoc mundi theatro  
 positum, ut bestiarum more te pe-  
 rituris voluptatibus immergeres,  
 sed ut DEO viveres, & servires: at-  
 que ita tibi inspirasse novum desi-  
 derium, què ad ipsum revertere-  
 ris. Rediistine ea animi prompti-  
 tudine & sinceritate, qua Filius  
 prodigus reversus est? Si hoc non-  
 dum præstitisti, quid, amabò, co-  
 gitasti? Fac id, obsecro, nunc, &  
 accede, ac propera ad hunc Pa-  
 trem, bonitate & misericordia ple-  
 num, nec time repulsam. Etsi e-  
 nim, ut filium decet, te non ges-  
 seris, ipse tamen patrem nunquam  
 exuit. Prosterne te ad ipsius pe-  
 des,

des , pari cum Filio prodigo ani-  
mi sensu , & dic cum ipso : Ah ! mi  
Pater , peccavi in Cælum , & co-  
ram te ac omnibus creaturis ! Verè  
mihi semper fuisti Pater tenerrimo  
affectu plenus , & ego me tibi ut  
inimico opposui . Jam non sum  
dignus vocari filius tuus : magni  
mihi beneficii loco erit , si me in  
numerum tuorum mancipiorum  
adlegeris : modò mihi liceat esse  
domi tuæ , id satis erit . Ibi perpe-  
tuâ memoriâ recolam & tuam in  
me singularem beneficentiam , &  
meum erga te ingratum animum .  
Spero etiam : te mihi fore , licet fi-  
liorum inhumanissimo , Patrem  
benignissimum , qui me quoque  
recipiat in suorum numerum , in-  
duâtque rursus primâ stolâ suæ  
gratiæ , qua ego me ipsum tam tur-  
piter exui , & privavi . Spero de-  
nique : te me invitaturum ad sa-  
crum Convivium , in quo reficiar ,  
& nutriar Carne , & Sanguine Filii  
tui , Redemptoris mei .

*Dixi*

*Dixi, confitebor adversum me  
injustitiam meam Domino: & tu  
remisisti impietatem peccati mei.  
Psal. 31.*

*Cor contritum, & humiliatum,  
DEUS, non despicies. Psal. 50.*

*DEUS, vita mea, qui persecu-  
tus es fugientem te, & oblitum tui  
non es oblitus? S. Aug.*

*Talis vita mea! nunquid vita,  
DEUS meus? S. Aug.*

## CONSIDERATIO IV.

### *De S. Communione.*

I. **S**I Sacramentum Eucharistiae  
est omnium sanctissimum &  
augustissimum, jure dicere possu-  
mus: Communionem, qua ejus-  
dem nos participes reddimus, es-  
se actum humanæ vitæ summi, ma-  
ximique momenti, & quod con-  
sequens est, exigere à nobis cu-  
ram, & diligentiam accuratissi-  
mam, qua nos ad illam præpare-  
mus. Si in omni vita nostra tan-  
tum

tum semel sacram Synaxin accedere deberemus, illa tota, etsi longissima foret, merito impenderetur, ad nos dignè præparandos, pro obeundo tam sancto, tamque tremendo Mysterio.

II. Hoc tamen propterea nos minimè ab aditu arcere, quin imò potius impellere debet, ut accedamus meliori cum dispositione, & quæ proportionem habeat, non quidem cum magnitudine Majestatis & Sanctitatis illius, quem recipere volumus (hanc enim, creatura nulla præstare poterit) sed cum tenuitate nostrarum virium, quas intendere, & impendere omnes debemus, ut, quantum quidem agere possumus, nos dignos reddamus communionem Divini hujus Mysterii. Malè igitur ratiocinantur, qui ita arguunt: nolo communicare, quia indignum me sentio. Quin potius ita discurrendum est: conabor, quantò potero studiò, ut me sacra Communionem dignum

dignum reddam, atque ita in partem veniam gratiarum, quas Dominus illis indulgere solet, qui se ipsi adiungunt.

III. Frequenter igitur, & quoties poteris, accede hanc sacramentam, ad quam te Christus ipse invitavit. Ideo enim hoc adorabile Mystrium instituit sub speciebus panis, ut ostenderet, illud non minus necessarium esse animis nostris roborandis, ac panem nutriendis corporibus. Vocavit etiam panem nostrum quotidianum, ut doceret, usum ipsius nobis debere esse perquam familiarem. Ad hoc suum Convivium accire jubet pauperes & cœcos, ut, quacunque denique miseria & infirmitate premamur, modò adhuc vivamus, nos minimè patiamur à manducando hoc pane vitæ avocari. Longè igitur absit, ut morbi & miseriæ nostræ nos inde excludant. Sapiens iste animorum nostrorum Medicus ideo nobis Divinum

num hoc nutrimentum offert, ut nos illo roboret, & soletur.

IV. Noli proinde te amplius excusare, quod Cœlesti hac dape indignus sis. Hoc enim excusandi modo, quid aliud diceres, quàm te ideo nolle capere cibum, quia sine cibo natura sustineri non potest? ideo te rejicere medicinam, quia magnitudo morbi illam necessariam reddit? & ideo te nolle accedere ignem, quia rigori frigoris propè succumbis? Si debilis es, restaura te hoc cibo fortium: si æger es, fume hanc medicinam, tam efficacem, tamque universalem, ut omnibus morbis mederi possit: si languidus, & in servitio DEI frigidus es, accede hanc ardentem Divini amoris fornacem, ut frigus excutias, & te inflammes.

V. Iterum, iterumque dico: non est legitima, quam arbitraris, excusatio; quia te indignum agnoscis. Si enim de dignitate judicandum est, quis audebit Divina hæc

My-

Myſteria accedere? Ille dignus accedit, qui ſe indignum credit, tamen omnia agit, ut indignus non ſit. Qui contendit: opus eſſe ad ſuſcipiendam ſacram Euchariftiam, perfecta ſanctitate, is excludit univerſum propè genus humanum, contra tam generalem, & tam ſeriam Chriſti Domini invitationem; & pro diſpoſitione ad S. Communionem requirit id, quod debet eſſe ipſius fructus.

VI. Generales porrò diſpoſitiones, quibus nos ad Angelicum hoc Epulum præparare debemus ſunt: profunda animi demiffio: propria miſeriæ noſtræ cõfeſſio: certa quædam ſpiritûs noſtri fames, quæ & neceſſitatem hujus nutrimenti, & avidum ex illo proficiendi affectum prodat: magna cordis puritas, aut ſaltem promptum illius comparandæ propoſitum: ardens denique deſiderium tendendi ad ſcopum, quem Chriſtus per S. Euchariftiæ institutionem nobis præfixit,

fixit; qui est intima cum ipso unio,  
& plena in ipsius voluntatem re-  
signatio.

VII. Plures sunt, & ante oculos  
positi libri, qui utilissimos se ad S.  
Communionem præparandi mo-  
dos docent. Quilibet seligat, quem  
sibi maximè proficuum judicave-  
rit. Ego unum dictabo, quo om-  
nes facilè uti poterunt. Capien-  
dum igitur pridie initium.

1. Offeres matutino statim tem-  
pore omnes totius diei actiones,  
& bona opera, meritis & sanguine  
Christi tincta, ut ita necessariam  
rectè communicandi gratiam af-  
sequaris.

2. Collectum toto die animum  
geres, & omnes cordis tui motus  
vigili custodia observabis.

3. Pro precibus jaculatoriis a-  
ptos in hanc rem ex Sacris Literis  
textus depromes, qui aut deside-  
rium hujus cibi, aut confessionem  
tuæ infirmitatis explicent.

4. Exercebis quosdam actus, &

G

pia

pia opera, tui subigendi studiô,  
qualis præcipuè esse potest visita-  
tio pauperum & captivorum; ut  
ita majori reverentia illum ex-  
cipias, qui te visitatum veniet.

5. A prandio leges capitulum ex  
libello de Imitatione Christi, quod  
de hac materia tractet.

6. Vesperis invises ad SS. Sacra-  
mentum, & Christum Dominum  
invitabis, ut ipsemet suâ gratiâ cor  
& animam tuam illustret, quò di-  
gnius ipsum possis recipere.

7. Antequam decumbas, in-  
strues tuam meditationem pro  
crastino die de S. Communione  
& his occupatus cogitationibus  
somnia te committes, invocatô pri-  
us Angelô Tutelari tuô, ut vige-  
lias agere dignetur super cor tu-  
um, ne quid intra noctem accidat,  
quod fauciare puritatem possit, ad  
sumendum Divinum hunc Cibum  
tantopere necessariam.

8. Postero die, quàm primùm  
evigilaveris, primam cogitationem

de S. Communionem concipies, tibi-  
 bique præsentem imaginaberis S.  
 Angelum Custodem, his te verbis  
 animantem: *Ecce Sponsus venit!*  
*exite obviam illi.* His imbutus  
 cogitationibus, orationem tuam  
 auspicaberis, quam solitò ferven-  
 tius, velut optimam dispositionem  
 ad S. Communionem, perages.

9. Collectos tenebis animi cor-  
 porisque sensus, usquedum ad  
 templum concedas, & semotis a-  
 liis negotiis, huic soli mentem affi-  
 ges, suaviter identidem tecum re-  
 colendo: quis est, qui venit? DE-  
 us. Ad quem venit? ad hominem  
 miserabilem, ad terræ vermicu-  
 lum, ad peccatorem. Quare ve-  
 nit? ut se ipsum tibi communicet,  
 & intimè jungat.

10. His cogitationibus vacabis  
 etiam durante Missæ officio, quod  
 Comunionem præcedit; sub quo,  
 duplicato fervore, renovabis, ac-  
 cendésque magis ac magis deside-  
 ria tua, quò paratior sis ad illum

recipiendum, qui solus omni ex parte illa fatiare potest. Proximus comunioni, diversos elicies actus, fidei primùm de hoc tam grandi Myfterio; tum adorationis plenæ timore & veneratione in conspectu Divinæ Majestatis; deinde profundæ humilitatis in consideratione tuæ fragilitatis, miseriæ, nihili; magnæ confidentiæ in illius bonitatem, qui ad te venit, & ardentissimi desiderii, illum amplectendi, & tecum uniendi, exclamando cum sponsa: veni, veni Domine; denique tenerrimi, & sinceri amoris, qui ipse optima etiam est ad S. Comunionem præparatio, & præcipuus, qui ex illa colligi debet, fructus.

11. His ita instructus adjumentis, accede sacramentum Mensam, & suscepto, qua poteris modestia, respectu & fervore, Christi Corpore, te ipsum intra, ut omnia hujus temporis momenta, quam diligentissimè impendas; est enim, ut

S. Theresia dicere solebat, totius vitæ tuæ pretiosissimum, & quo possis infinitos congregare thesauros, si quidem hac occasione bene uti scias, qua ad te venit Dominus noster, ut te donis, & bonis suis impleat.

12. Abjicies te igitur ad ipsius pedes, & excitatâ rursus, de Christi Domini præsentia, fide, ipsum adorabis mixta cum profundissimo respectu admiratione, quòd DEUS omnis gloriæ & Majestatis se usque adeò demittat, ut etiam intra hominis peccatoris cor, stupendò prorsus, & supra omnes naturæ leges elevatò miraculò, habitare dignetur; atque ita attonitus cum Salomone exclamabis: Quid? Domine, Cœli capere non possunt Majestatem tuam, & tu illam includis intra sinum unius hominis! aut cum S. Elisabetha: Unde mihi hoc, ut veniat Dominus meus ad me? Post hos piæ admirationis sensus, conaberis, quantum poteris,

ris, gratum tuo Servatori animum  
testificari; & quia reddendæ gra-  
tiæ te prorsus imparem deprehen-  
des, invitabis omnes creaturas ad  
ipsum benedicendum, offeresque  
ipsi amorem, quo ipsum beati Cœ-  
lites complectuntur, & fervorem,  
quo hoc admirabile Mysterium  
sanctæ Animæ frequentare solent.

13. Expones ipsi tuas angusti-  
as, tuas misérias, & necessitates.  
Quandoque ipsum impensè roga-  
bis, ut te illis liberet; quandoque  
satis tibi erit magno humilitatis, &  
vivæ confidentiæ affectu, cum S.  
Martha dicere: Domine, quem a-  
mas, infirmatur. Possúmne ego  
de tuo in me amore dubitare, post-  
quam tanta pro me præstitisti? Po-  
tésne tu meas infirmitates videre,  
& illis non mederi, postquam me  
tantopere amas? Quandoque cum  
Magdalena procumbes ad ipsius  
pedes, ut audias amabiles ipsius re-  
prehensiones, & salutaria consilia,  
quæ tibi suggeret. Sed super om-  
nia,

nia, nunquam omittes gratum ipsi offerre sacrificium, sanctè promittendo seriam tui emendationem circa illum maximè defectum, quem ipsi præ reliquis displicere intelliges. Quandoque sine ulla petitione, te totum ipsi committes, hoc unum protestando: ipsum & tui cordis, & omnium, quæ in te sunt, absolutissimum Dominum. Denique non minùs, ac Jacob Angelum, ipsum priùs à te non dimittes, quàm suam ab ipso petieris benedictionem, & expletionem desiderii, quo ardebat, cùm ad te veniret, nempe ut se tibi uniret.

## LECTIO

## Pro quarto Die.

Ex S. Scriptura Cap. II. Jerem. & Cap. V.  
S. Lucæ.

Ex Lib. de Imit. Christi Cap. XIX. &  
XXV. Lib. I.

Ex Duce Peccat. Ludov. Granat. Cap. XXIV.  
Lib. I.

G 4

DIES

**DIES QUINTUS.****DE DUCE,**

*Qui nos in viam bonam  
reducatur.*

Cognito per priorem hebdomadem ultimo nostro Fine, & perspecta, deplorataque nostra à recto tramite aberratione, ardens in viam salutis redeundi desiderium concipere debemus. Verùm, ut hoc possimus, Duce nobis opus est: & hic est ille Dux, quem S. P. Ignatius in secunda hebdomade, intentò velut digitò, nobis demonstrat, quando Virtutes, & Vitam Christi nobis imitandam proponit; præcipue in prima hac Meditatione de Regno Christi, in qua juxta genium suum militarem, illum nobis proponit sub schemate Regis subditos suos ad bellum & conflictum suò exemplò invitantis.

**MEDITATIO XIII.****De Regno Christi,**

**& nostra obligatione ipsum  
sequendi, & imitandi.**

Prælud. Ponendus nobis est ante oculos Christus, per pagos & campos prædicans, & omnes ad sui imitationem, & sequelam invitans.

Præ

Prælud. 2. Petenda à DEO gratia, qua adjuvi, audiamus vocem Christi nos vocantis.

## PUNCTUM I.

### *Comparatio Regis Terreni.*

**P**ONE tibi ob oculos Regem, sapientiâ, fortitudine, potentiâ, felicitate, divitiis, liberalitate præ reliquis prorsus eximium, & à DEO electum, ut omnibus Principibus Christianis cum imperio præesset in bello justè sanctèque contra errorem & impietatem suscepto. Finge: hunc talem, tantumque Regem animare, & exhortari suos, ut in tam gloriosa expeditione se sequantur, & in hunc finem sequentes ipsis conditiones polliceri, fidelissimè à se observandas. 1. Se in nulla re, ne quidem à minimo milite, fore distinctum. 2. Belli incommoda, & militares labores cum omnibus sibi fore communes. 3. Si manus essent conferendæ, præcessurum se agmen, & omnia

G 5

peri-

pericula, quibus alii objicerentur, se primum subiturum. 4. Se ubique præstò futurum, & non tantum necessaria, sed etiam segura, & facilia comparandæ victoriæ media suppeditaturum. 5. Obtentâ Victoriâ, remuneraturum se ipsorum merita, & bene gesta, longè supra id, quod ipsi aut desiderare, aut prætere possent. Essetne reperire unum ex subditis, qui, rejectis his conditionibus, hunc suum Principem sequi detrectaret? Certè si quis esset, omnium hominum ignavissimus, & stultissimus meritò haberetur.

## PUNCTUM II.

### *Applicatio hujus Parabola.*

**J**ESUS Christus est noster verus Rex, à Patre suo constitutus, ut suprema cum potestate, omnibus hominibus imperaret, teste Propheta; *constitui eum super civitatem Sion*, hoc est, super Ecclesiam; id

id quod etiam ipsemet coram Pila-  
to protestatus est. Considera nunc  
dotes hujus Regis, in quo nihil  
non infinitum. Est enim infinite  
potens, bonus, dives, liberalis, ju-  
stus, misericors, liber, immortalis.  
Compara hunc Regem cum regi-  
bus terræ. Hi imponunt gravia  
tributa suis subditis: ille pro suis  
Divinæ Justitiæ satisfacit. Isti ex-  
hauriunt sibi subiectos, ut ipso-  
rum facultatibus opes suas auge-  
ant: ille, ut suos locupletaret, se  
omnibus bonis exuit. Isti, ut se  
conservent, reddantque gloriosos,  
suorum sanguinem, & vitam ex-  
tremo discrimini objiciunt: ille pro  
suorum salute propriam vitam, &  
sanguinem, usque ad ultimam  
guttam, profundit. Isti duras a-  
liis præscribunt leges, quibus ipsi  
se non submitunt: ille nullam  
condit, cujus usum, & praxin non  
ipse suô exemplô doceat. Isti fre-  
quenter præclara suorum facinora  
nullo præmio, nullo honore pro-

sequuntur, vel quia illa ignorant, vel quia ipsis remunerandi facultas, aut animus deest: ille vel minimum rectè factum æternâ felicitate compensat. Isti denique mortales sunt, & suo interitu omnes illos, qui ipsorum gratiâ & favore nituntur, involvunt: ille autem immortalis est, cujus Regnum æternum durabit: *& regni ejus non erit finis.*

Quæ tua gloria, mi Servator, esse Regem Angelorum, & hominum! Quæ nostra utilitas, vivere sub tam suavi & beato Imperio! Quæ autem mea culpa, quis pudor, quòd erubuerim, me alta sublatâque voce tuum subditum profiteri! quòd tam sæpe recusârim me tuis legibus subicere! quòd prætulerim infame jugum crudelium Tyrannorum, Mundi, Carnis, & Dæmonis, justotuo dominio, & amabili jugo! quòd denique frequenter, cum perfidis Judæis dixerim: *molimus hunc regnare,*

*gnare super nos ! Hoc certè toties feci , quoties , neglecta tua lege , indomitis meis desideriiis morem gessi , & quoties tua præcepta , & consilia contempsi , ut illa sequer , quæ Mundus dictavit. Verum , mi DEUS , dolet ex animo , summumque in modum opto , ut proprio meo cruore eluere possim commissum à me crimen.*

### PUNCTUM III.

*Hic Rex nos ad sui imitatorum invitat.*

*Motiva , quæ nos ad illam impellunt.*

**C**ONSIDERA : Christum JESUM Regem , tuo amore & cultu dignissimum , tibi declarare : se ideo è Cælo in terram descendisse , ut bellum inferret Mundo , Carni , & Dæmoni , illisque velut juratis suis hostibus victis , subactisque , æterni Patris gloriam , propè jam funditus

everfam, restauraret; atque ideo te invitare, ut ad tam gloriosam expeditionem ipsum sequi velis. Ecce motiva, quæ id tibi persuadere, & meritò possunt, & jure debent. Primum est, meritum & dignitas invitantis. Quæ felicitas, quis honor, sequi tantæ bonitatis, & majestatis Regem, qui est JESUS Christus? *Magna est gloria sequi Dominum.* Secundum: justitia & pondus causæ. Debellandi enim sunt hostes DEI: quid justius, quid grandius? Profligandi etiam sunt proprii tui inimici, qui in perniciem, & æternam tuam damnationem conspirârunt: quid tibi utilis, quid magis necessarium? Reparanda est gloria DEI. Optimi Maximi: quid gloriosius creaturæ? Tertium: invitat te modò efficacissimò & amabilissimò; nam communia, & divisa tecum vult habere pericula: nulli te exponet, nisi jam instructum suò exemplò. De victoria te certum reddit, artem

vin-

*Meditatio Decima Tertia.* 159

vincendi, & succursum necessarium suggerit, denique remunerationem pollicetur longè spe tua majorem. Profectò si, his excitati motivis, JESUM non sequimur, stolidi simus, necesse est, & penitus excœcati.

Ex his affectus iidem, qui ex præcedenti puncto, eliciendi sunt; tum nos ad imitationem devovere in hunc ferè sensum, debemus: O summe rerum Moderator, adorande JESU! ego me totum tibi offero, etsi planè indignum, qui te sequar. Me, & quidquid ex me pendet, sancto tuo imperio submitto, & perquam beatum me reputabo, si non tantum servi, sed etiam minimi mancipii tui nomen sortemque ferre liceat. Jam nunc, in Cœli, terræque conspectu, protestor: renuntiare me Carni, & Mundo, omnibusque illorum placitis, & illicitis, quibus perpetuum bellum denuntio. Tua solùm exempla, tua præcepta deinceps mihi

hi vivendi, agendique forma norma-  
maque erunt.

*Magister, sequar te, quocunque  
ieris. Math. 8.*

*Trabe me post te, & curremus  
in odorem unguentorum tuorum.  
Cant. 1.*

*Magister, ad quem ibimus?  
verba vite aeternae habes. Joan. 6.*

## MEDITATIO XIV.

### De humilitate JESU

Christi in sua Incarnatione.

Postquam generatim constituimus se-  
qui, & imitari Servatorem nostrum, ex-  
plorandum nunc speciatim erit, in quo po-  
tissimum ipse, nos sui Imitatores esse, velit,  
quæque media ad reparandam Patris sui  
gloriam magis propria, & idonea judicet;  
qui est unicus Incarnationis scopus, & e-  
tiam tuus in præcedente Meditatione esse  
debit. Id quod maximè in exemplis vi-  
tæ ipsius occultæ deprehendemus. Est  
enim nullum sit vitæ Christi Mysterium,  
quod nobis non omnium Virtutum exem-  
pla describat, in unoquoque tamen vide-  
tur particularis aliqua Virtus præcipuè  
mi-

*Meditat. Decima Quarta.* 161

micare. Sic humilitas singulariter elucet in ipsius Incarnatione; sic paupertas in Nativitate; corporis afflictatio in Circumcisione; resignatio in Patris sui Voluntatem ex fuga in Ægyptum; obedientia in subjectione, qua in omnibus promptum Beatissimæ Mariæ, & S. Josepho, triginta, quibus latuit, annis morem gessit. Hæ sunt quinque illæ Virtutes, quæ è diametro opponuntur quinque præcipuis obstaculis, quibus reparatio gloriæ DEI impeditur, & ipsius regnum ex hominum cordibus excluditur. Nempe: superbiam, aut immodico gloriæ desiderio; avaritiæ, aut insatiabili auri, argentique fami; proclivitati in oblectamenta corporis, sive immoderato voluptatum amori; ambitioni, sive nimio emergendi ad honoris gradus studio; intemperanti denique quidquid pro libitu agendi licentiæ, qua quis propriam suam in omnibus sequi voluntatem nititur. Hæ sunt, inquam, quinque Virtutes his quinque vitiis rectè, & ex adverso oppositæ, quæ etiam sequentium Meditationum argumentum erunt.



PUN-

## PUNCTUM I.

*Humilitas Christi in sua Incarnatione.*

CONSIDERA I. S. Paulum, ut profundissimam, quæ unquam fuit, humilitatem describeret, sic de Incarnatione Christi, fuisse locutum: *Exinanivit semet ipsum.* Ad quæ verba notabis: non esse, si propriè loquamur, nisi solum Hominem-DEUM, qui se verè possit humiliare. Homo humiliare se non potest, quia infra id, quod est, demittere se non potest. Pro principio habet nihilum, & peccatum; pro termino sepulchrum, & infernum. Potestne se infra hæc abjicere? Longè minùs DEUS se humiliare potest, cum Majestas, gloria, & omnis excellentia magnitudinis ipsi necessariò insitæ sint. Solus igitur Homo-DEUS capax est, qui se humiliare possit. Postquam enim DEUS hominem

*Meditatio Decima Quarta.* 163

in unitate Personæ sibi univit, jam omnes hominis infirmitates DEO conveniunt. Atque ita Omnipotens evasit debilis ; Immensus intra Virginis sinum conclusus ; Æternus factus est infans unius diei ; Immortalis subditus morti. DEUS infinitè beatus, infinitè liber, & à nemine prorsus dependens, omnes hominis misérias subiit, excepto solo peccato. Quæ humilitas ! quàm profunda sui demissio ! Erubescere, anima superba, quæ, cum nihil, & quod deterius est, peccatum sis, tantam tui submittendi difficultatem prodis, DEO interim se eò usque humiliante.

Considera 2. nihil æquè pretium Divinæ gloriæ extollere, nihil ita temeritatem peccati illam violentis ob oculos ponere, ac videre, Hominem-DEUM, ut illam repararet, suâ se magnitudine exuere, imò se quasi ad nihilum reducere : *exinanivit semet ipsum.* Rectè ne huc usque hanc veritatem concepisti ?

cepisti? & si concepisti, poteritne tibi tam moleste accidere, DEO exiguum honoris punctum offerre, dum vides, Hominem-DEUM, omnem gloriae, & dignitatis suae excellentiam, seque totum ipsi consecrare?

Confidera 3. Humilitatem, sui-que demissionem necessario praestantissimam, & maxime propriam, glorificandi DEUM, medium esse debere, postquam Christus JESUS, qui est aeterna Sapiencia, illam ad restaurandam Patris sui gloriam elegit. Ita omnino est, mi DEUS, quod profundius Filius tuus humiliatus fuit, eò magis tu fuisti glorificatus. Nec tibi unquam jucundius spectaculum obtigit, quam cum JESUM infantem, pauperem, & exinanitum vidisti. Tunc enim te continere non poteras, quin diceres: *Ecce filius meus dilectus!* Tunc etiã Angelicus Chorus suavissimo concentu cantavit: *Gloria in Excelsis DEO!* Nisi igitur me tibi,

DEUS

DEUS meus, humiliatum, & exinanitum sistam, nunquam tibi gratum exhibebo spectaculum, nunquam te verè glorificabo.

## PUNCTUM II.

*Gloria Hominis ex humilitate post Incarnationem.*

CONSIDERA: postquam HOMO-DEUS per Incarnationem se ipsum exinanivit, veram hominis gloriam in humilitate consistere, quam aut ipse inquit, aut aliunde oblatam, pro DEO acceptat. Cùm enim homo nihil excellentius præstare possit, quàm procurare, aut reparare DEI gloriam, omne id, quod ad tam nobilem, tamque illustrem finem conducit, verum ipsi solidumque honorem conciliat. Certè JESUS Christus nullam aliam ob causam in mundum venit, quàm ut Patris sui gloriam  
repa-

repararet. Sed in hūc finem humilitatem, & sui abjectionem elegit; ut dubitari jam non possit, quin hoc sit præstantissimum, & aptissimum recuperandæ, & procurandæ Divinæ gloriæ adjumentum, & quod consequens est, opportunissimum etiam, ad comparandum verum homini honorem, medium. Atque ita anima ignota, contempta, & inter homines abjecta, quæ animo submissio & promptio humilitatem, sui que depressionem, quàm DEUS immittit, excipit, quæ sibi in illa placet, quæque illam quærit; sanctorum virorum, imò etiam ipsiusmet DEI, judicio, affurgit ad statum elevatissimum & gloriosissimum, in quo creatura constitui potest. Credisne hoc? esne ita persuasus? Tam certus, securusque iste Fidei articulus est, quàm certum verumque est: DEUM pro nobis esse incarnatum. Heu! si de hoc convicti, persuasique sumus, fierine potest, ut nos, qu

*Meditatio Decima Quarta.* 167

qui tanto cum studio inanem venamur gloriam, etiam deinceps tantopere fugiamus abjectionem, nostrique contemptum? Anne igitur infideles sumus, & perfidi? Ita sanè quis meritò existimet, qui nostram vivendi rationem, & horrorem inspicit, quo humilitatem averfamur. Sunt quidem aliqui, non inficior, qui credunt hanc veritatem, sed ad cognitionem duntaxat, non ad actionem; paucissimi enim illam verè ruminant, & ad penetralia cordis demittunt. Pauciores adhuc sunt, qui illam sibi vitæ, morumque regulam statuunt. An non tu quoque es ex istorum numero? si ita: agnosce tuum errorem, & coram DEO confundere.

Altera ratio, quæ demonstrat, veram Christiani hominis dignitatem & gloriam consistere in humilitate, sui que despicientiâ, est: quòd, cum Christus JESUS sit absolutissimus omnis gloriæ & magni-

gnitudinis Christiani hominis exemplar & principium, ut dubitari non potest, nos aliter verè magni evadere non possimus, nisi quantum ipsi conformamur, & similes reddimur. Sed quid est, quod nos Christo similiores efficiat, quàm contemptus & humilitas, cujus vita nihil aliud fuit, quàm continuum hujus virtutis exercitium.

Hæ rationes an non fundatæ sunt in primis veritatibus, quibus velut fundamento Christiana Religio innititur? Unde ergo venit, quòd illis non convincamur? Quid? si in obsidione urbis Rex privati militis munus obiret, nunquid humiles etiam actiones Regis ductu susceptæ, honorificæ haberentur? nec unus omnium foret, quacunque deniq; dignitate emereret, qui non sibi honori duceret, in hoc, Regis exemplum sequi. Et tu mi Redemptor, tantum potestatis in animos Christianorum non

*Meditatio Decima Quarta.* 169

non habeas? Et tu non possis su-  
am humilitati vilitatem absterge-  
re, eamque reddere gloriosam, i-  
ta jam tuò exemplò illustratam?  
An nos indignum homine judica-  
bimus, quod Homo - DEUS se di-  
gnum censuit? Habemusne fidem,  
& credimus, JESUM Christum  
esse DEUM, quòd tam parum i-  
pfius exemplò moveamur? Ah, a-  
nima mea! non inferamus hanc  
injuriam Christo! Quin vos, op-  
probria, calumniae, depressiones,  
quiscunque vestri horror naturam  
agitet, vos, inquam, chara deinceps  
cordis mei deliciae eritis, post-  
quam etiam cordis Christi fuistis.  
Per vos me illi similem efformabo;  
per vos meum erga ipsum testari  
amorem, & suum erga me mere-  
ri poterò. Quòd si mundi asse-  
clae gloriam suam ponant in facu-  
li fastu; ego meam in humilitate,  
& mei despicientiâ collocabo cum  
JESU, propter JESUM, & in JE-  
SU.

H

*Quod*

*Quod altum est hominibus, a  
bominatio est ante DEUM. Luc.  
16.*

*Reges gentium dominantur eo-  
rum: vos autem non sic; sed qui  
major est in vobis, fiat sicut minor.  
Luc. 22.*

*Intoleranda superbia est, ut u-  
bi se exinanivit Majestas, ver-  
miculus infletur, & intumescat.  
S. Bernard.*

## MEDITATIO XV.

### De Paupertate Christi in sua Nativitate.

Prælud. 1. Constituemus nos in stabulo  
Bethlemítico, & ibi considerabimus DE-  
UM infantem in præsepio paleis incuban-  
tem.

Prælud. 2. Petamus à Dño gratiam be-  
ne concipiendi grandia illa Mysteria, quæ  
in præsepio apparent, ut inde profectum  
hauriamus ad vitæ morumque emenda-  
tionem.

PUN.

PUNCTUM I.

*De Paupertate IESU Christi  
in praesepio.*

CONSIDERA : Filium DEI , postquam statuerat hominem induere , voluisse nasci in summa , quæ concipi potest , paupertate . Habebat in Cœlo omnes divitiarum & gloriæ thesauros , inquit S. Bernardus ; sed paupertatem non reperit , quæ tanta in se bona complectitur : ideo , ut illam quæreret , de Cœlo descendit . Ille , qui , ut loquitur Apostolus 2. Cor. c. 8. v. 9. erat ditissimus , factus est pro nobis pauper , ut nos locupletaret , & nostræ aviditati suâ penuriâ remedium afferret .

Vide , quò usque progressa sit Domini nostri paupertas . Nimirum ipsi videbatur , si intra fabri lignariî officinam nasceretur : ita suâ providentiâ rem disposuit , ut mater ipsius , partui proxima , iter su-

scipere obligaretur in Bethlehem!  
 cumque tempus appropinquasset,  
 petiit locum in Diverforio. Ipse,  
 cum sit Dominus cordium, facile  
 potuisset pium misericordiae sen-  
 sum, & commiserantis affectum  
 hospiti inspirare pro illa, quae i-  
 psam intra viscera gestabat. Ve-  
 rum permisit, ut, quem petebat,  
 locus ubique ipsi negaretur. Ideo  
 coacta est se in stabulum deser-  
 tum, & caeli injuriis obnoxium  
 recipere, ubi in summa rerum om-  
 nium penuria Filius DEI nasci vo-  
 luit, ita ut ipsius mater à jumentis  
 foenū & paleas mutuare debuerit,  
 quibus ipsum imponeret. Nul-  
 lus unquam, post hominum me-  
 moriam, infans Filiō DEI paupe-  
 rior fuit: cum in simili casu, hu-  
 manitas, aut charitas miserrimis  
 quibusque succurrere soleat. En,  
 extremam DEI recens nati paupe-  
 riam! Cum ipse sit omnipotens,  
 in hunc modum natus est, quia i-  
 ta voluit. Non fuit necessitatis,  
 sed

sed electionis iste effectus. Cùm sit infinite sapiens, & rerum pretium exactissime discernat; fieri non potest, quin optimum sit, quod ipse elegit. Necesse igitur est, statum paupertatis divitiis & abundantiaæ præferendum esse. Estne hoc, quod tu huc usque credidisti? Immodicus iste affectus, qui te bonis terrenis alligat; perpetua illa cura, qua illa accumulat; hic metus, & trepida sollicitudo, qua te abripi finis, si aliquod illa perdendi periculum imminet; hæc tuarum commoditatum, & utilitatum indefessa investigatio, satis aperte produnt: te longè alia, & prorsus diversa à Christi mente consilia agere. Quis se vestrum decipit? an Sapientia Æterna? an tu? Quid cogitas? agnosce errorem tuum, & erubescere, quòd, cùm Christianum profitearis, oppositis ita Christi iudicio sensibus ducaris. Roga illum, ut, quia Lux est cæcos illuminans, dissipet te-

nebras tuas , quibus involutus , in  
tanti ponderis negotio , cœcutien-  
tis in modum , huc usque vixisti.  
Roga illum , ut te videre faciat di-  
vitiarum vanitatem & periculum ,  
& cor tuum ab illis avertat ; ut fal-  
tem corde & spiritu pauper sis , si  
re ipsa esse non possis. Forma de  
hoc firmum propositum , atque  
ipfius gratiam implora.

## PUNCTUM II.

*Quomodo imitanda sit Chri-  
sti in cunis jacentis  
Paupertas ?*

**I**Maginare tibi : Patrem Cœlestem  
iisdem te verbis alloqui , quibus  
Dominus noster , in alia occasio-  
ne Apostolis suis dixit : *nisi effi-  
ciamini sicut parvulus iste , non in-  
trabitis in Regnum Cœlorum.*  
Matth. c. 18. v. 3. Ut quis salvus  
fiat , necessarium omnino est , ut  
paupertatem JESU Christi imite-  
tur ,

tur, vario tamen & diverso modo, pro diversa hominum conditione & vivendi ratione. Si in Mundo vivas, & status tuus te ad possessionem bonorum terrenorum adigat: necesse est primò, ut te humilies, cum sis constitutus in statu, paupertati Christi opposito. Ille enim, qui in cunis suis solatur pauperes, eodem situ terret etiam divites, quibus jam exemplò suò dicit, quod aliquando verbis intonabit: *Vae vobis divitibus.* Lucæ c. 6. v. 24. Necesse est secundò, ut bene agnoscas periculofam statûs tui conditionem. Est enim status cupiditatis, avaritiæ, rigoris erga pauperes; status damnationi obnoxius ob obstacula, quibus salutem tuam implicat, & ob amplam facultatem, quam tibi concedit, semper aliquid indulgendi noxiis animi desideriiis. Necesse est tertio, ut omnem affectum ab hujusmodi bonis abstrahas, & illas juxta Apo-

stoli dictum, non aliter possideas, ac si non possideres. Atque hæc cordis separatio, in qua paupertas spiritûs, tantopere ab Evangelio commendata, consistit, absolute ad consequendam æternam salutem est necessaria. Quartò oportet tollere omnem luxum, & quidquid vanitatem olet, ac Christianam modestiam lædit, aut promissis adversatur, quibus in sacro Baptismate, Mundo ejusque pompæ renuntiasti. Denique per bonum rectumque horum bonorum usum reparare debes illorum abusum, atque ita prævertere pericula, quæ illum semper sequi solent. Si hoc non facias, habes, cur meritò timeas, ne maledictio, à Filio DEI in divites vibrata, in caput tuum ruat.

Quòd si in statu Religioso vitam ducas, & voto tenearis sequi paupertatem JESU Christi, renuntiando non solum divitiis, sed etiam desiderio & spei illas possidendi;

in-

*Meditatio Decima Quinta.* 177

inspice parum te ipsum, & vide: quomodo huic tuo statui satisfacias, qui te obligat 1. Ut nihil penitus proprii habeas, nihil dones, nihil mutues, nihil accipias, de nulla re disponas sine superiorum licentia; cum id non possis sine peccato mortali, in re, quæ ad culpam mortalem sufficit in materia furti. 2. Ut minimè animum affigas rebus, tibi ad usum concessis, cum probrosum omnino sit homini Religioso, majori affectu res vilissimi momenti complecti, ut aliquoties accidit, quàm ne pretiosas quidem ii prosequantur, qui Mundo militant. 3. Ut rescindas tam in tua Persona, quàm in tuo cubiculo, omnibusque mobilibus, quidquid superfluum est, aut vanitatem ostentat. 4. Denique te obligat, ut probes quandoque, & toleres effectus paupertatis, neque molestè feras, si tibi quid desit; quin contentus sis, si alii præferantur, & quod deterius est, tibi re-

linquatur. Sunt nonnulli Religioforum, qui paupertatem perquam delicatè tractant, & commodissimè exercent. Nimirum, ne in ulla re defectum sentiant, & suis commoditatibus fruantur sine ulla cura & solitudine, quibus tamen Mundani, qui ad genium vivunt, implicantur. Profectò hi tales non imitantur paupertatem JESU Christi. Examina te parùm, an non sis ex horum classe? an non murmures, si quid tibi defit? an non sis addictus tuis commodis? an non tibi aliquid adhæreat de spiritu proprietatis? an non disponas de quibusdam rebus sine licentia, & absque attentione ad peccatum mortale, quod in hac materia faciliè committi potest. Dole, si quid advertas, & veniam pete à DEO: stude emendare tuos errores, imitando pro viribus paupertatem JESU Christi.

*Divitiæ si affluant, nolite cor  
apponere. Psal. 61.*

*Amen*

*Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum Caelorum. Math. 19.*

## CONSIDERATIO V.

### *De Missa.*

I. **S**ANCTO Missæ Sacrificio quotidie intersis, quantum quidem per valetudinem tibi licebit. Nullo unquam vitæ tuæ die illud omittas, nisi fortè tam gravia tibi negotia incumbant, ut illa deferre, aut tam urgentia, ut illa differre non possis. Quòd si huic officio satisfacere negligas, apparebit: te nec satis fidei habere, nec sat cognoscere utilitatem, quam inde haurire possis.

II. Id facile intelliges, si bene comprehendas, Missam nihil aliud esse, quàm renovationem illius Sacrificii, quod oblatum est in monte Calvariæ, & eandem prorsus victimam, quæ illic immolata

fuit, hoc est, JESUM Christum, qui se rursus offert Patri suo in holocaustum pro expiatione nostrorum criminum, & tibi applicat pretium Sanguinis sui, quem in cruce effudit. Eo igitur animi sensu assistere debes S. Missæ Sacrificio, quo adstitisses morti Redemptoris tui in Calvaria monte, si tum præsens fuisses: vel potius conari debes, ut talem in te excites, qualem tum Beatissima Mater Maria, & dilectus Christo Discipulus conceperunt.

III. Verùm, prò dolor! quàm frequenter contrarium accidit, ut non aliter tremendo huic Mystério assistere videaris, quàm ut illud profanes, per tuam immodestiam, per cordis tui impuritatem, per dissipationem animi, per sensuum evagationem? Qui id agit, nã is assistit Calvaria, non ut Sanctissima Virgo, & Discipulus dilectus, sed ut Carnifices, rursus tormenta,  
&

& opprobria Passionis Christi renovantes.

IV. Ut tam grande malum evites, & animô collectô, & debita cû devotione id agas, quod tam sanctum Mysterium requirit; statim ad ingressum Ecclesiæ elicies actum fidei, quo testeris: te locum intrare sanctum, & DEI majestate plenum, cui obsequium præstes, & gratiam tibi necessariam postules.

V. Durante Missa, te ad omnem compones modestiam, & curam dabis maximam, ut diligenter ad ea, quæ Sacerdos agit, attendas. Hic enim præstantissimus, & ab Ecclesia probatissimus audiendi Sacrum modus est. Et quia libri, qui de hac materia tractant, pleni sunt piis affectibus, quibus se quis eo tempore occupare poterit; ideo illos tantum breviter percurram.

I. Cum Sacerdos ad altaris pedem, DEO, suorum peccatorum generalem confessionem facit, eorumque veniam petit, ut impetret

puritatem pro oblatione tanti Sacrificii necessariam; tu intus actum contritionis excitabis, quo cor tuum purges ab omni eo, quod tibi impedimento esse potest, ne fructum Divini hujus Mysterii assequaris.

2. Cùm Evangelium legit, fidem DEO contestaberis: paratum te esse, etiam sanguine & morte, tueri veritates Evangelii, & mores vitamque compositurum ad præcepta & placita, quæ ab ipso doceris.

3. Ad Offertorium animo tecum Sacerdote conjunges, & ad eundem cum ipso scopum Sacrificium diriges, hoc est, ad præstandum debitum Divinæ Majestati cultum; ad agendas ipsi gratias pro beneficiis tibi collatis; ad placandam ipsius iram, tuis totiusque Mundi peccatis toties irritatam; ad satisfaciendum justitiæ, offerendo ipsi sanguinem sui Filii; denique ad obtinendas gratias, tibi,

bi, & iis necessarias, qui se tuis precibus commendârunt.

4. Novo fervore animabis attentionem, reverentiam, & devotionem tuam, ad cantandum cum Seraphinis Divinum illud Canticum, quo ipsi, in omnem æternitatem, DEUM laudant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.*

5. Ad Elevationem, elicitò, de præsentia Christi in S. Hostia, fidei actu, ipsum adorabis, & continuo ejusdem Passionem meditari auspiceris, cujus S. Missæ Sacrificium memoriam revocat, & repræsentat. Quod ut facilius præstes, totam Passionem in septem partes, sive stationes dividere poteris, & unam pro quovis die in contemplationis argumentum seligere. Primo die, considerabis Christum in horto oliveti constitutum: secundo, apud Caïpham: tertio, apud Pilatum: quarto, apud Herodem: quinto, gestantem suam Crucem, & ad montem Cal-

Calvariæ progredientem : sexto, contemplaberis ipsum cruci affixum : septimo, in cruce exspirantem ob tui amorem, & lanceâ perforatum, ut cor suum tibi aperiret, eoque te reciperet.

6. His aliquamdiu cogitationibus distentus, præparabis te ad Spiritualem Communionem, eo ferè modo, quo nos ad Sacramentalem disponere solemus. Atque ita, post productos fidei, adorationis, & humilitatis actus, indignum te judicabis, qui mensam Domini tui accedas. Desiderium tamen testaberis, quo cupis ipsum recipere, aut saltem te participem reddere gratiarum, quas illis conferre solet, qui ipsum devotè recipiunt, quarum præcipua est arcta cum Christo unio, & perfecta cordis cum sancto ipsius spiritu conformitas. Post hæc persolvenda est gratiarum actio eo ferè grati animi sensu, quo post Communionem

Sa.

Sacramentalem, uti consuevi-  
mus.

LECTIO  
Pro Quinto Die.

Ex S. Scriptura. Cap. VII. & IX. & Cap. I.  
& II, S. Lucæ.

Ex Imit. Christi Cap. I. Lib. II. & XXXI.  
Lib. III.

Ex Memoriali Ludov. Granat. Cap. III.  
Lib. IV.

Ex P. Rodriq. Cap. I. Tract. de Paup. Part.  
III. & Cap. II. Tract. de Humil. Part.  
II.



## DIES SEXTUS.

CONTINUATIO  
VIRTUTUM,*Vitæ latentis IESU  
Christi.*

## MEDITATIO XVI.

De Circumcisione.

## PUNCTUM I.

*De Mortificatione Christi in  
sua Circumcisione.*

CONSIDERA: mortificationem veram, geminam complecti afflictionem; corporis alteram, alteram animi sive spiritûs. Oportet affligere corpus, ut aliquid toleret. Oportet subigere spiritum, ut sibi vim inferat. Utramque Filius DEI in sua Circumcisione mirum in modum exercuit.

I. Ma-

I. Maximum fanè dolorem Ser-  
vatori nostro, multas ob causas,  
Circumcisio attulit: erat enim æta-  
te tenera, complexione delicata;  
tempus præterea iniquum, & per-  
quam frigidum; & quia habebat  
perfectissimam rerum cognitio-  
nem, non poterat non gravissimè  
sentire tam crudelis operationis  
violentiam. Nihilominus Filius  
DEI tam magnam afflictionem,  
majori animi ardore, & volupta-  
te amplexus est. Voluit nempe  
ab ipso vitæ suæ exordio pati. Nec  
à seipso impetrare poterat, ut ex-  
spectaret tempus Passionis, & san-  
guinis sui effundendi: citiùs lon-  
gè demonstrandus ipsi erat suus in  
Patrem & homines amor. An tu  
quid simile ipsius causâ præstas?  
Minima molestia bilem, & stoma-  
chum tibi movet. Prò ignaviam!  
JESUS Christus nondum octidu-  
um in Mundo exegit, & jam desi-  
deriò ardet, pro te patiendi: Tu  
post tot vitæ annos, quid pro ipso  
tolerâsti? II.

II. Circumcisio erat ceremonia valde dura, & aspera, à qua Mundi Redemptor summopere abhorre debuisse. Nam non solum cum reliquo hominum genere ipsum confudit, sed etiam peccatoribus immiscuit. In reliquis quidem vitæ suæ Mysteriis verè apparuit debilis, pauper, infirmus, & doloribus subjectus: in hoc autem etiam comparuit ut peccator; quia illud remedium admisit, quod infamem peccati characterem supponit. Interim, cum minimè esset obligatus, submisit se rigori & humilitati hujus ceremoniæ propter nos, neglectis omnibus motivis, & rationibus, quæ, ab hujus legis observatione, ipsum exemerant; & superatis generosè obstaculis, quæ ejus executionem difficilem reddere poterant, vim sibi intulit eò usque, ut etiam similitudinem peccatoris pro nobis assumeret. Hæc Servatoris humilitas an non superbix nostræ ruborem

borem inquit? Insolens omnino est, & omni admiratione dignum, inquit S. Bernardus, Christum JESUM, qui Sanctus Sanctorum est, voluisse videri peccatorem; & nos, qui peccatores sumus, velle haberi Sanctos. JESUS hoc nomen, & Servatoris dignitatem patiendo sibi comparavit; & nos volumus æternæ salutis gloriam mercari sine ullo laboris, aut doloris pretio.

## PUNCTUM II.

*Mortificatio Christi moti-  
vum, & forma debet esse  
nostra.*

CONSIDERA: obligatum te esse imitari Christi Mortificationem in sua Circumcisione. Cùm enim ipse propter te submiserit se rigidæ huic ceremoniæ, optimo factè jure meretur, ut tu quoque aliquid propter ipsum sustineas. Nolim autem existimes: te ad id tènèri

tenêri solo grati animi titulo, quem ipsi exhibere debes. Tua te propria utilitas eò impellit. Si enim per dolores circumcissionis, ut jam diximus, JESUS Christus nomen, honorémque Servatoris fortitus est, sanè eadem tibi afflictionis via calcanda erit, si quidem ad aternæ felicitatis portum pertinere cupias.

I. Ipsum peccatoris nomen te commonet, ut aliquid exemplò JESU Christi feras. Ipse dolores circumcissionis sustinuit, quòd corpus ipsius similitudinem, non characterem peccati gereret: tu, qui toties tibi peccati characterem impressisti, nihil toleres, quo illud obliteres, & corpus tuum castiges, fomitem & instrumentum tuæ malitiæ? Quid est Peccator, nisi homo ad pœnitentiam natus? inquit Tertullianus. Hoc est, ut toleret, ut sensus suos compescat, ut carnem tuam cruci affigat; in hoc enim Pœnitentia consistit. Ita-

*Meditatio Decima Sexta.* 191

ne tu hoc ipsum factitasti? nihil minus. Aliquot preces, vagò animò & sine attentione deperatae, apud te pœnitentiæ locum occupant. His DEO oblatis, innumerabilium peccatorum debitum expungere te putas. Quis, obsecro, abusus? Si ista sufficiunt; deceperunt nos Sancti, qui longè aliam agenda pœnitentiæ normam nobis dictârunt. Imò deceperunt se ipsos, postquam obstrictos se crediderunt ad obeunda his dissimilia pœnitentiæ opera.

II. Mortificatio te obligat, ut tibi ipsi violentiam inferas. Huic obligationi necessariò obtemperandum est: nisi id feceris, excides æterna salute, & toto cœlo aberrabis. Hæc veritas, toties auctoritate S. Evangelii roborata, adimit omnem dubitandi locum. Habes immoderatos animi motus, quos domes: habes plura, eaque difficilia, quibus ex officio satisfacias: habes occasiones lubricas & peri-

periculosas, quas evites. His omnibus quo modo rectè perfungèris, nisi continuam tui custodiam geras; nisi prava cordis tui desideria reprimas; nisi, ut verbo absolvam, constantem tibi ipsi vim inferas? Quæ igitur, & quanta fuit hucusque tua cœcitas? Cùm quis te commonuit, ut majori studiò ad salutis & perfectionis tuæ curam incumberes; legitimæ excusationis scutum te objicere credidisti, quādo ita te defendisti: durum hoc nimis, & violentiâ plenum est, quam quis semper contra se ipsum exercere cogeretur. Et tamen hæc ipsa verissima, & solida ratio est, quæ id tibi, ut præstares, vel maximè persuadere deberet. Fides enim ipsa nos instruit, & docet: Regnum Cœlorum vim pati, & violentos rapere illud.

Age, percepistine, quid mortificatio sit, quàmque ad salutem necessaria? Intellexisti, ad quid hæc virtus te obliget? Erubescere,

& totus in ruborem abi, quòd tam delicatus, tamque ignavus fueris. Deplora modicam fidem tuam, & time, ne, cum in partem dolorum Christi circumcisi venire nolis, etiam ipsius meritís, & gratiâ Redemptoris excidas, qui uti patiendo hoc nomen comparavit, ita tu, nisi cum ipso patiaris, illius fructum nunquam assequeris. Hoc est, mi amantissime Servator, ad quod constitui totis viribus anhelare. Sed quia nota est tibi imbecillitas mea, præsertim cum mihi contra me ipsum pugnandum est; & quia scis, neminem odisse carnem suam, nisi tu tam sanctum odium ipsi inspiraveris; rogo te per sanguinem, quem pro me hodie, etiam adhuc infans, tanta animi magnitudine profudisti; erige animû meum, & tuò exemplô confirma. Rogo te per sacratissimum Nomen JESU, & hanc Servatoris dignationem, quam pretiô Sanguinis tui acquisivisti; redde me participem  
I fru-

fructuum illius, communicando  
mecum tuos dolores.

*Qui Christi sunt, carnem suam  
crucifixerunt cum vitiis & con-  
cupiscentiis. Gal. 15.*

*Si secundum carnem vixeritis,  
moriemini; si autem spiritu facta  
carnis mortificaveritis, vivetis.  
Rom. 8.*

*Mortificate ergo membra ve-  
stra, qua sunt super terram.  
Joan. 5.*

*Semper mortificationem JESU  
in corpore nostro circumferentes,  
ut & vita JESU manifestetur in  
corporibus nostris, 2. Cor. c. 4.*

## MEDITATIO XVII.

De fuga JESU Christi in  
Ægyptum,  
Aut

De perfecta resignatio-  
ne in Providentiam Divinam.

PUN-

PUNCTUM I.

*Exemplum perfectæ resigna-  
tionis, quod Christus per hoc  
Mysterium fugæ in Ægy-  
ptum nobis dedit.*

**C**ONSIDERA I. Cùm Christus in Ægyptum fugeret, totum se commisisse ductui Divinæ Providentiæ, sine minimo respectu ad difficultates, quæ in hoc itinere, possent occurrere. Deserenda erat ipsi patria, propinqui, & amici, à quibus aliquid solatii expectare poterat; domus præterea, & modica illa commoda, quæ paupertas ipsi indulserat. Concedendum erat in regionem longè remotam, barbaram, inter Idololatrias, cum quibus nullum ipsi intercedere poterat commercium, ex quo aliquod capere posset levamentum. Suscipiendum erat iter iniquissima anni tempestate, in ætate ad dolores tenerrima, & fe-  
I 2 ren-

rendis ærumnis prorsus impari. Discedendum erat promptè, & sine mora; nec spatium dabatur parandi, quæ in iter necessaria erant. Denique nullum tempus certum ærumnoso huic exilio præfigebatur. Hoc unum injungebatur, ut illic persisteret, donec revocaretur. JESUS tamen, & itineris comites ac duces, nulla habita istarum difficultatum ratione, certè omnibus generosè superatis, paratissimam præstiterunt obedientiam voluntati Cœlestis Patris, & inter tot ac tanta obstacula se totos ejusdem Providentiæ commiserunt.

Confidera 2. Hanc fugam videri posse omni rationis lumini contrariam. Quantum enim debilitatis Christus in illa prodidit? Meritò ipsi exprobrari poterat, quod aliquando ipsius inimici objecerunt: quomodo hic alios salvos reddere poterit, cum se ipsum salvare non possit? Deinde, quid  
fa-

facilius erat DEO, quàm furori Herodis frænum injicere, mutando ipsius animum, aut temeritatem castigando? Et ille, qui ex tanto locorum intervallo tres Reges potuit attrahere, ut infantem nuperrimè natum adorarent, non potuit Regem, licèt furiâ & rabie, concitatum, constringere, ut idem præstaret? Quòd si Judæâ excedendum erat, cur eundem in Ægyptum ad Cultores Idolorum? Cur non, migravit ad Magos, à quibus summò gaudiò, & maximâ reverentiâ iussit exceptus, & liberalissimè habitus? Sed JESUS, sed Josephus & MARIA, quibus hunc animi sensum indidit, circa hoc minimè ratiocinabantur. DEUS ita vult, ipse ita ordinat; hoc ipsis sufficiebat, hæc erat suprema & unica ipsorum ratio. Oportet sequi ejus voluntatem, & se submittere ipsius arbitrio. DEUS est Dominus vitæ, honoris, & omnium ipsius bonorum; JESUS totum se

ipsi, magnô suô solatiô, consecrat,  
 & sacrificat. Quàm magnum, &  
 admirabile est hoc exemplum,  
 quod in hoc Mysterio nobis præ-  
 bes, dulcissime JESU! quàm  
 dignum te, & amore, quo Patrem  
 tuum complecteris! Sed quàm  
 meritò arguit, & condemnat va-  
 nos meos angores, inutiles metus,  
 immoderatas sollicitudines, nimi-  
 as cautelas, & tot ratiocinationes  
 parùm Christianas, quas formare  
 me amor proprius cogit, cùm de  
 rebus meis, de statu, ac fortuna  
 mea stabilienda agitur? Ah, Do-  
 mine! difficultas, quam huc usque  
 sensi, ne me totum tuæ providen-  
 tiæ crederem, non ex alio fonte  
 profluxit, quàm quòd tam parùm  
 fidei, & confidentiæ in tua bonita-  
 te collocârim; cujus tamen libera-  
 lem in me beneficentiam  
 toties jam exper-  
 tus sum.

PUNCTUM II.

*Motiva impellentia ad perfectam nostri resignationem, exemplò JESU Christi.*

CONSIDERA I. Tria potissimum esse motiva, quæ nos maximè impellunt, ut nos totos committamus Divinæ Providentiæ. 1. Quia nihil est tam rationabile. 2. Quia nihil DEO tam gloriosum. 3. Quia nihil nobis utilius.

Nihil utique est tam rationi consonum, quam se illius curæ committere, qui optimè novit nostras necessitates, & illas sublevandi voluntatem simul & potestatem habet. Christus nos exhortaturus, ut omnem curam in Patris sui providentiam conjiceremus, hac utitur ratione, quam paucis explicat, his verbis: *scit Pater vester Cælestis quia his indigetis.* Si scit nostras necessitates, timendum non est, ne nobis succurrere non possit

fit defectu notitiæ. Si est Pater noster, dubitandum non est, quin habeat fat bonitatis, & paterni affectûs, quo nos soletur. Si denique Pater noster Cœlestis est, qui habet omnem potestatem in Cœlo & in terra, certum omnino est, ipsum nos posse cumulare bonis in hac & in altera vita.

Nihil prorsus effugit DEI scientiam; ipsius oculi pari acumine grandia, ac minima quævis scrutantur, & penetrant, quin eventuum multitudo & copia intuitum turbent. Suam providentiam etiam in futurum porrigit, & quidquid venturis sæculis accidere debet, id ipsi tam præsens est, ac ea, quæ jam nunc in Mundo aguntur. Si igitur verum est, DEUM cognoscere omnia, prævidere omnia, disponere omnia; si, ut Christus ipse nos securos reddit, sine ipsius voluntate ne quidem capillus de capite nostro decidit: putasne, ipsius Providentiam longè majoris mo-

momenti negotia neglecturam ,  
qualia sunt , quæ tuam quietem ,  
tuam conditionem , tuam salutem  
spectant , cum nihil horum possit  
ignorare ?

Sed si Pater noster est , potestne  
ipsi amor , curaque nostri deesse ?  
Quid ? tam bonus fuerit , ut te creâ-  
rit , ut tibi vitam dederit ; & non  
dabit , quô ipsam sustentens ? Om-  
nem suum Sanguinem effuderit ,  
ut te redimeret ; & gratias necessa-  
rias tibi negabit , quibus pretium  
redemptionis tibi applices ? Im-  
pendiô propriæ suæ vitæ jus ad æ-  
ternam felicitatem tibi compara-  
verit ; & te temporalibus destitu-  
tum relinquet , quæ tam facile , &  
nullis impensis procurare poterit ?  
Sine solitudine , curæ tui parentis  
te committis , quia scis , te ab ipso  
amari ; & hunc honorem DEO non  
tribues , qui est parentum omni-  
um optimus ? *Nemo tam Pater.*  
Et adhuc dubitabis , an id , quod  
ipse ordinat , tendat in tuum com-

modum five temporale , five æternum, ?

Denique Pater noster Cœlestis est , cujus voluntati nihil omnino resistere potest. Creaturæ , etiam ab omni sensu vel maximè alienæ , obediunt ejus voci , & se ipsius imperio substernunt. Velle & facere ipsi unum idémque est. Quantum hoc , & quale solatii & confidentiæ motivum pro anima , quæ sibi ipsi dicere potest : sum certa , DEUM omnia scire , omnia disponere , omnia posse. Sum segura , me ab ipso amari amore tenerrimo , & sincerissimo , quo quis amare , & amari potest. An non possum me ipsi totam confidere sine ullo timore , ne me derelinquat ? *Non enim amas , & deseris* , inquit S. Augustinus.

Confidera II. Nihil esse gloriosius DEO , quàm perfectam creaturæ in Creatorem suum confidentiam. Si enim gloria nihil aliud est , quàm existimatio laudi & amo-

*Meditatio Decima Septima. 203*

amori juncta, quid est, quod nostram, quam de Divina Bonitate, Sapientia, & Potentia concepimus, existimationem magis declaret, quàm si nos totos cæco quodam modo ipsius curæ affigamus? Estne aliquid, quod nostrum, quo in ipsum ferimur, amorem clarius manifestet, quàm conjecta in ipsius bonitatem omnis nostra fiducia? Verissimum igitur est; nihil DEO gloriosius esse, quàm animam ita comparatam, ut sui penitus oblita, credat, satis sibi esse, si DEUS de illa cogitet; quæ super omnia in DEO solo conquiescat; quæ nihil præter DEUM æstimet; cui perinde sit, quidquid accidat, modò voluntas DEI impleatur. Et hæc est vera ac solida animæ, è solo DEI nutu pendens, dispositio.

Considera denique III. Nihil nobis utilius esse, quàm sit perfecta in Divinam Providentiam resignatio. Quæ enim major utilitas, quàm nullam habere curam,

nullum timorem, nullam sollicitu-  
 dinem? quàm vivere in perpetua  
 pace? quàm dormire in sinu Divi-  
 næ Providentiæ, ut ita dicam, non  
 aliter quàm infans, qui in gremio  
 suæ Matris tranquillè quiescit?  
 Quæ major utilitas, quàm esse cer-  
 tum, se semper, quocunq; denique  
 se vertat, quidquid agat, quidquid  
 patiatur, exequi voluntatem DEI?  
 Hæc est illa securitas, quam perfe-  
 cta sui resignatio animæ comparat,  
 quæque illam semper contentam  
 reddit.

O beata conditio, quàm parùm  
 tuum pretium homines æstimant!  
 Felices illos, qui te adepti sunt, fa-  
 ctâ etiam omnium bonorum suo-  
 rum jacturâ! Nam in te reperiunt  
 quendam inexhaustum gratia-  
 rum fontem, pacem quandam so-  
 lidam, imaginem quandam sta-  
 tûs Cœlestis, & ipsius felicitatis a-  
 liquam communicationem, vel  
 potius certum aliquod pignus illi-  
 us, quam paulò post in Cœlo pos-  
 side-

fidebunt. Sed sicut nemo omnium, nisi tu, amantissime JESU, nobis tam perfectæ resignationis exemplô potuit prælucere, ita nemo, præter te, nobis poterit necessarias ad illam perveniendi gratias dare. Magnam propterea oportet de tua potentia ideam, magnam in tuam bonitatem concipere fiduciam. Et ego nec illam, nec hanc consequi poterô, nisi te amem; non possum autem te amare, nisi tu hunc amorem inspires: quod ut facias, mi JESU, rogo te, per te, & propter te.

*Dominus regit me, nihil mihi deerit Psal. 22.*

*Omni sollicitudinem projicientes in eum quoniam ipsi est cura de vobis. 2. Petri. 5.*

*Non dabit in æternum fluctuationem Justo. Psal. 54.*

*Projice te in eum non se subtrahet, ut cadas. S. Aug.*

## MEDITATIO XVIII.

De Obedientia Christi  
occultè viventis.

## PUNCTUM I.

*De Obedientia perfecta, quam  
Patri suo prestitit.*

CONSIDERA : Evangelium omnem Christi vitam, à duodecimo usque ad trigessimum annum, his verbis complecti: *Et erat subditus.* Sed, priusquam obedientiam meditemur, quam S. Josepho, & Sanctissimæ Matri prestitit, considera: quò usque se Redemptor noster, ut Cœlesti Patri obediret, demiserit; ut etiam intra pauperis officinæ angustias, & humilis vitæ obscuritatem degere voluerit, propè, ut videbatur, inutilis, toti ferè Mundo incognitus, contemptus ab iis, qui ipsum noverant, & pro fabri lignarii filio tenebant;

nebant ; licet interea percurrere  
Univerſum , ſua doctrina inſtrue-  
re homines , miraculis commove-  
re , exemplis ædificare , & ad veri  
DEI cultum allicere potuiſſet. Cu-  
ra , ut bene penetres admiranda  
occultæ hujus vitæ Myſteria , & ſo-  
lidas illas veritates , quas te Chri-  
ſtus , etiam ſuo ſilentiõ , docet.

Prima eſt : perfectionem no-  
ſtram non præciſè in eo conſiſtere,  
ut pro gloria DEI grandia agamus,  
aut toleremus , ſed ut ipſius volun-  
tatem impleamus. Nec enim i-  
pſum magis glorificare poſſumus,  
quàm ſi promptõ animõ comple-  
ctamur impotentiam , in quam i-  
pſe nos conjicit , ſi noſtrâ operâ u-  
ti nolit. Filius DEI æquè glorifi-  
cavit Patrem ſuum in officina Na-  
zaræa , cùm abjectis occupationi-  
bus vacaret , ac poſtea Jerofoly-  
mis , cùm admirandis prædicatio-  
nibus , & ſtupendis miraculis flore-  
ret ; quia utrinque pari obedientia  
voluntati paternæ obtemperavit.

Itaque

Itaque illi, quos aut morbus, aut negotia statui illorum debita, aut Divina Providentia vel Superiorum ordinatio impediunt, ne precibus, ne misericordiae aut poenitentiae operibus vacare possint, nullatenus, ut plerunque fieri solet, turbari debent: faciunt enim voluntatem DEI, & hoc sufficit.

Secunda est: quod vita privata & abscondita multis aperiat copiosissimum gratiarum fontem, & securissima honorandi DEUM, ac praestantissimas exercendi virtutes, media: quae ipsis vita Apostolica non suppeditaret; quia vita illa occulta extinguit in nobis desideria, & avidos animi motus, quibus publice comparere, & in hominum oculis ac aestimatione collocari cupimus; quibus illi subjecti sunt, qui sanctis etiam occupationibus distinentur. Haec enim suo, quantumvis modico, splendore amorem proprium accendunt, ut identidem nobis occinat, quod olim

lim Christo propinqui & cognati  
suggererunt: *manifesta te ipsum*  
*Mundo*: sic enim provehendæ Di-  
vinæ gloriæ aptior eris. At timen-  
dum, ne sit amor proprius potius,  
qui te foras agit, quàm sincerus Di-  
vinæ gloriæ zelus, & proximi cha-  
ritas; aut certè periculum est, ne sal-  
tem non omnem laudem, & com-  
mendationem ad DEUM referas, si  
quam, Domino tuos labores pro-  
movente, ab hominibus tuleris.  
Hæc omnia, non est, cur metu-  
ant, quibus vita privatim & in oc-  
culto decurrit.

Rectene huc usque penetrâsti  
Myſteria hujus obedientiæ, quam  
Christus exercuit, dum Mundo  
latuit? Quantum ab his recedunt  
mores tui? Ille publicè comparen-  
di pruritus; illud, sæpe falso Divi-  
næ gloriæ prætextu, animarum  
desiderium, quo cupis, inter Au-  
ctores cenferi, si quid boni præsta-  
tur; ille amor novitatis & distincti-  
onis inter studia pietatis; vanæ illæ  
fo-

solicitudines, si quandoque majori potestate devotiones tuæ turbentur, exemplô Christi meritò damnantur. Erubescere igitur, & latentis DEI succursum implora, ut superare possis pravam illam inclinationem, qua videri cupis, & ab hominibus æstimari.

## PUNCTUM II.

*De Obedientia Christi, Beatissimæ Virgini, & S. Josepho præstita.*

CONSIDERA: omne id, quod aut Evangelium de Christo, octodecim annorum spatiô, nobis prodidit, aut Pater Cœlestis voluit, ut à suo Filio disceremus, his paucis absolvi: MARIÆ & Josepho obedi- vit. Ecce omnem ipsius, tanto tempore, occupationem! ecce miracula! ecce prædicationes! Sed examina parum omnia hujus obedientiæ adjuncta. Id proderit tibi, sive in Mundo, sive intra Religio-  
fa

*Meditatio Decima Octava.* 211

sa septa vitam agas; utrobique enim habemus nostros Superiores, quibus obtemperandum est.

Confidera 1. Quis sit ille, qui obedit, & qui se, infantis instar, gubernandum tradit? Is est Verbum Æternum, Sapiencia increata; is est, qui regit mundum, & cui omnia parent. Quid? DEUS infinite Sapiens se mei amore obedientiæ submittit; & ego, cujus voluntas corrupta, cujus intellectus cæcus, difficultatem sentiam me subjiciendi ex DEI amore! Quæ perversio!

Confidera 2. Quibus obediat? MARIÆ, & Josepho, creaturis quidem, quæ unquam fuerunt, sanctissimis, infinito tamen spatio à Christi claritate & sapientia distinctis. Nihilominus illis obedit, eadem, qua Patri suo Cœlesti, promptitudine; quia hunc in illis, tanquam ejus locum tenentibus, agnoscit, & reveretur. Et tibi posthac grave accidet, te tuis submittere

re Superioribus? Hoc inde oritur, quia in illis, exemplô Christi, DEUM non respicis; sed in illo, cui obedis, merita tantum, & dona naturæ observas; atque idcirco tua obedientia, aut difficilis, & dura, aut purè naturalis & humana evadit; ex qua etiam præter humanam, nullam aliam mercedem, colliges.

Confidera 3. Quomodo obediat? promptè, sine mora, sine murmuratione, prævertendo etiam voluntatem MARIÆ & Josephi; exactè, sine minima omissione eorum, quæ injungebantur; perfectè, non tantum exterius exequendo, quæ jubebatur, sed etiam interius submittendo suam voluntatem; imò quodam modo illam exuendo, ut aliam non haberet, quàm Matris suæ & S Josephi; elevando denique suam obedientiam per motivum gloriæ sui Patris, cujus mandata intuebatur in iis, quæ à suis Superioribus acceperat.

Estne

Estne obedientia, quam tu præstas, conformis exemplo JESU Christi? Hæ murmurationes, hæ difficultates, hæ inutiles excusationes, hæc ignavia, hæc negligentia, hi respectus humani, hi conatus placendi magis hominibus quàm DEO, & tot alii defectus, qui obedientiam tuam comitantur, satis demonstrant, quàm longè sis adhuc remotus à perfectione obedientiæ JESU Christi.

Confidera 4. Quibus in rebus obediat? in vilissimis & perquam molestis, navando operam S. Josepho, & MARIÆ, quam famuli suis heris, & filii pauperum suis parentibus præstare solent. Laborabat cum S. Josepho, ipsum in suo opificio juvabat, instrumenta portabat, & in ordinem redigebat. Qualis, obsecro, occupatio pro illo, qui DEUS, & rerum omnium Conditor est?

Ah quantopere hoc exemplum confundit superbiam & molliem meam!

meam! Cogor enim fateri, grave mihi accidisse, obedire in iis precipue, quæ humilitatis aliquid & molestiæ afferebant. Enitebar ferè semper, ut inflecterem obedientiam, & genio meo accommodarem: nec volebam præstò esse, nisi in iis rebus, quæ inclinationi & vanitati meæ blandiebantur: atque ita cupiebam habere meritum obedientiæ, cum laborem recusarem. Prò quàm rari reperiuntur in Mundo perfectè obedientes, etiam inter illos, qui obedientiam profitentur! Agnosco sanè, mi Domine, quòd huc usque & pretium hujus virtutis, & multò magis illius exercitium ignoraverim, quamvis tu mihi tam illustre exemplū præbueris: atque ita perdididi fructum plurimum mearum actionum, etiam illarum, quæ meliores videbantur; quia tibi placere non poterant, quòd ex propria mea voluntate magis, quàm ex tua, quæ mihi per Superiores ma-

ni-

*Me*  
nife  
nem  
ne, y  
tute  
plô  
quo  
beas  
qui  
*Vo*  
Ila.  
*D*  
volu  
tem  
*M*  
tate  
*CC*  
*De*  
*I. P*  
licita  
pen

nifestabatur, principium & originem traxerint. Rogo te, Domine, ut, postquam me ad hanc virtutem amplectendam tuô exemplô tam fortiter animâsti, mihi quoque auxilium gratiæ tuæ præbeas, quô adjutus illud strenuè sequi valeam.

*Verè tu es DEUS absconditus.*  
Isa. 45.

*Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. 6.

*Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. 4.

## CONSIDERATIO VI.

*De Ordine & Constitutione  
dici, & actionibus Christi-  
stiani hominis.*

**I.** PLURIMUM interest, ut quisque bene animo suo imprimat: felicitatem æternæ salutis nostræ dependere à sanctitate nostræ vitæ;  
san

sanctitatem nostræ vitæ dependere ab ordine & compositione nostræ vitæ; & hanc ab ordine & constitutione uniuscujusque diei in particulari: cùm vita nostra nihil aliud sit, quàm continuus subsequentium dierum, ex quibus illa componitur, contextus; ut adeo quemque diem bene, & ad Christianæ legis normam exigere, idem sanè sit, ac consideratam, prævisamque habere vivendi rationem, seque de felici æternitate securum reddere.

II. Maximi igitur momenti est, ex ordine vivere, & totius diei actiones ad rationis regulas conformare. Nec enim sufficit bonum agere, sed necesse est, etiam bonum bene agere. Ut bene agamus, oportet ex ordine & regula agere. Bonum quis agere potest, vel ex beneplacito & commodo suo, vel ex usu & consuetudine, vel ex necessitate & respectu humano. Qui sic agit, aut nihil agit, aut certe

tè non Christianè, nec ad salutem suam utiliter agit. Sed qui operatur ex regula, operatur ex merito, operatur perfectè, operatur facilè, operatur constanter.

III. Oportet igitur ad regulam dirigere 1. naturam & substantiam nostrarum actionum; ut videamus, quid debeamus, quid non debeamus, aut quid nolimus agere: 2. tempus nostrarum actionum; ut statuamus, quo tempore quid agere, & quantum impendere debeamus: 3. modum, quo quid agere, & methodum, quam observare debemus.

IV. Si naturam nostrarum actionum spectemus, illarum tria potissimum genera esse comperiemus. 1. Sunt Exercitia pietatis, quæ Divinum cultum spectant: ut sunt preces, meditationes, lectio spiritualis, Missa, usus Sacramentorum, bonorum operum, & virtutum praxis & executio. 2. Nostra negotia, studia, labores, quos

status & conditio nostra nobis imponit, occupationes, & alia munera, quibus distinemur. 3. Recreationes, & animi relaxationes. Primi generis actiones inviolabili nobis lege tenendæ, & exercendæ sunt: secundi generis debent dirigi à ratione: tertii à pura necessitate. Pro primis inviolabilem legem nobismet ipsis statuere debemus, ne illas unquam omittamus, nisi majoris boni causâ, quam sola charitas dictare poterit. Secundas ratio ordinare debet, ut nimirum, quæ nostri officii & muneris sunt, libenter & sedulo exequamur, semper præferendo ea negotia, quæ nobis ex debito incumbunt: ad alia verò, quæ in arbitrio nostro posita sunt, ne manum admoveamus, nisi quantum id cura primi & principalis negotii, quod est nostra salus, permittit. Necessitas denique moderari debet recreationes nostras, ut illis instar medicinæ utamur, quantum scili-

cet necessariae & salutare sunt, atque ideo esse debent moderatae & innocentes.

V. De tempore quoque disponendum est, ut sciatur, quo quavis actio tempore peragenda fit, & quantum temporis ipsi tribuendum. Pro quo in primis considerandum est, quid noster status, nostra conditio, nostra sanitas, nostrae vires, nostra negotia & occupationes exigant, aut concedant. Tum, consulto DEO, & nostro Directore, nobismet ipsis ordinem diurnum praescribere debemus, maxime circa tempus surgendi, quod nobis summam curam habendum, cum ex illo residuum diei dependeat; ideo semper summo opere cavendum, ne per actum inutilem, diem ordiamur. Post haec distribuamus reliquum, tempus pro oratione, pro Missa, pro lectione &c. Hoc modo nostrae actiones ordine fient, evitabitur, confusio & tedium, quod ple-

runque otium gignit & incertitudinem illorum, quæ agenda sunt. Sic etiam participes reddemur illius privilegii, quod Religiosis proprium videtur, ut semper securissimus, nos ex voluntate DEI operari, quando nihil ad arbitrium nostrum, sed juxta regulæ præscriptum agimus.

VI. Oportet autem huic ordini exactè & constanter inhærere, nec ab illo discedere ex levitate aut inconstantia naturali, nec ob tedium, quod quandoque suboriri solet, si quotidie semper eadem repetenda sunt, nec ob suggestiones Diaboli, qui mille ineptiis nos irretire, & nullius momenti negotiis distinere consuevit, tantum, ut nos à recto tramite avertat, & aliò avocet. Nihil tamen ex fervili subjectione agere debemus, nec difficultatem aut scrupulum nobis ipsis movere, cum aliquando ordo noster interrumpendus, aut mutandus erit, si quidem id neces-

cessitas, aut charitas exigat: quia ordinem & regulam deserere, si id ratio, necessitas, aut charitas suadeant, est primam & supremam regulam sequi.

VII. Ordinatis ita natura & tempore nostrarum actionum, modus quoque disponendus erit, quem in illis observemus: qui in duobus præcipuè consistit: 1. in certa methodo, quam in illis tenere oporteat: 2. in spiritu interiori, quo illa animentur.

VIII. Methodum quisque illam amplecti debet, quam judicaverit ætati, temperamento, conditioni, statui, officio, dispositioni, & inclinationi suæ maximè conformē. Etsi enim omnes in se bonæ & utiles esse possint, non tamen omnibus æquè bonæ sunt; nam quod uni convenit, alteri non convenire poterit. Et ideo prudenter ex hac ratione methodum non arripis, quia scis, illam alicui bonam utilemque accidisse. Pleni sunt libri,

ut quivis, quod placet, eligere possit. Optimum tamen est, ut quis Directorem suum consulat, qui ut melius statum & necessitatem animæ cognoscit, ita securius judicare poterit, quænam methodus ipsi commodissima sit. Reperietur in his Considerationibus methodus pro principalibus actionibus, quam quis tenere poterit, si nihil melius ad manus ipsi sit.

IX. Spiritus internus, quo quis actiones suas animare debet, consistit potissimum in intentione, quæ est velut actionum anima, qua vivificantur; & in fervore, qui omnem illis pulchritudinem & perfectionem, cujus capaces sunt, inspergit.

X. Intentio generalis pro omnibus nostris actionibus semper debet esse directa ad majorem Dei gloriam, ut nos docet S. Paulus. Formandæ tamen etiam sunt particulares, ut sunt: satisfacere pro nostris peccatis, impetrare gratias

as & virtutes nobis necessarias, sequi intentiones JESU Christi, nos suâ gratiâ ad agendum excitantis. Præstantissima autem omnium praxis est: nullum unquam incipere opus, quod non prius, actuali intentione, DEO offeras, uniasque cum operibus Christi; sic enim per ipsius merita suppletur, quod nostris deest. Hanc intentionem oportet identidem renovare, præsertim si opus, quod agimus, diutius duret. Incredibile dictu est, quantum momenti & utilitatis hoc exercitium afferat, quàmque gravem jacturam ejus neglectus pariat. Per illud enim actiones naturales, & quæ ex se sunt nullius meriti, evadunt bonæ & supernaturales, & æternæ gloriæ pondus operantur.

XI. Satis tamen non est agere ex pura intentione, opus est etiam agere cum fervore. Nam Spiritus Sanctus maledictionem vibrat in illum, qui opus DEI facit negligenter.

ter. Ut te ipsum excites, & impellas ad operandum cum fervore, necesse est 1. ut quamlibet actionem facias, velut vitæ tuæ supremam & ultimam, ut re ipsa etiam esse potest. 2. Ut tibi persuadeas, ex qualibet particulari tua actione dependere vitæ tuæ perfectionem, & æternæ felicitatis momentum. 3. Ut cogites, DEUM velle, ut hoc opus perficias; Ipsum observare modum, quo illud peragis; offerre tibi suum concursum, ut illud rectè facias; nec minus promittere, quàm æternam gloriam pro tua mercede. Atque ita quot bona opera omittis, aut negligenter agis, tot quodammodo felices æternitates perdis. Denique illud tibi penitus persuadebis: nihil te posse agere, quod æquè placeat DEO, ei-que majori sit honori, ac rectè facere illa, ad quæ obligaris, sive ex regula, sive ex consilio tui Directoris, sive ex debito tui statûs, sive ex mandato tuorum Superiorum.

rum. Et nihil à te posse fieri, quod æquè displiceat Deo, ac hæc omittere, aut oscitanter peragere. Et fortè tua perfectio, tuæque æterna salus his est alligata.

## LECTIO Pro Sexto Die.

Ex S. Script. Cap. XVII. Genes. & Cap. II.  
ex S. Matth.

Ex Lib. de Imit. Christi Cap. III. XVII. &  
XVIII. Lib. III.

Ex Memor. Lud. Gran. Continuatio Cap.  
III. Lib. IV.

Ex P. Rodriq. Cap. X. Tract. VI II. Part. I.  
& Cap. V. Tract. I. Part. I.



**DIES SEPTIMUS.**  
**DE OBLIGATIONE,**

*Qua tenemur nos declarare  
 pro Christo, & imitari ejus  
 vitam publicam.*

---

**MEDITATIO XIX.**

**De duobus Vexillis.**

**Aut**

*De obligatione nos aperte de-  
 clarandi pro JESU Christo.*

Hæc Meditatio ita appellatur, quòd S. Ignatius in ea ideam sibi formaverit duorū belli Ducum, milites conducere volentium. Unus erat Dominus noster JESUS Christus; alter Dæmon: uterque illos ad sua signa invitat. Per hanc Meditationem Deus ipsi mentem indidit, instituendi suum Ordinem sub nomine Societatis JESU,

eius finis esset pugnare sub vexillo Christi, ejusque inimicis bellum inferre. Rectè autem hæc Meditatio hoc loco ponitur, quia, postquam desiderium concepimus imitandi virtutes & vitam Christi latentis, oportet nunc, ad ipsius exemplum, prodire in campum, ipsum aperte sequi, & citra metum partes Virtutis amplecti, atque alios etiam ad illas pertrahere.

## PUNCTUM I.

**C**ONSIDERA: Luciferum, qui nomen Principis Mundi usurpavit, sedere in throno igneo, circumdatum innumerabili Dæmonum, velut militum, multitudine, quos hortatur, ut sua sequantur imperia, & quotquot poterunt, homines ad suas pertrahant partes. Constitutum ipsi est erigere rebellionis vexillum contra DEUM, & Christo inferre bellum, atque omnes homines sub jugum suum cogere, ut postquam ipsos reddidit rebellionis suæ socios, reddat etiam æternæ suæ miseræ consortes. Media, quibus utitur, sunt amor

voluptatum, amor divitiarū, amor honorum. Hæc sunt velut tria ipsius symbola, quæ tribus respondent concupiscentiis, quarum S. Joannes meminit. Horum ope omnes ferè homines ad suas partes allicit; voluptuosos spe voluptatum; avaros spe divitiarum; ambiciosos spe honorum.

Confidera: paucos esse, qui se satis tueantur, vel contra unam tentationem, nonnihil gravius insurgentem; paucissimos autem, qui se bene defendant, qualemcunque denique virtutem habere videantur, quando Dæmon omnes tres machinas ad expugnandum ipsorum animum admovet; quique possint resistere triplici illicio & magnæ voluptatis, & magni lucri, & magni honoris.

Deplora cœcitatē plurium hominum, qui, cum non advertant, immoderatum amorem voluptatum, divitiarum, & honorum ad infernum, velut ultimum terminum,

num, ducere, se illuc cœco impetu, & furiosorum instar, præcipientes agunt. Ingemisce, ob jacturam tot animarum Christi sanguine redemptarum, quæ nullis ipsius gratiis & beneficiis commota, turpi transfugiô ipsum deserunt, & ad castra Diaboli convolant, ejusdem cum ipso rebellionis & pœnarum rex. Roga DEUM, ut miseris hos illuminet, & Ecclesiæ suæ operarios, zelô & fervore plenos, submittat, qui infelices has animas ab interitu revocent. Te ipsum quoque inspice, & vide, an non tu quoque Dæmonis partes sis secutus, contra fidem in Baptismo datam, qua Diabolo ejusque operibus, Carni & voluptatibus, Mundo & ejus pompæ nuntium misisti. Hic in voluptates pruritus, hic bonorum & honorum ambitus, an non satis indicant, te sub signis Diaboli militare? Si ita est, erubescere, & dole de tua cœcitate: pete à DEO veniam, & renova solemnem

illam protestationem, qua in Baptismo Dæmoni, Carni, & Mundo renuntiasti.

## PUNCTUM II.

**C**onsidera: Ex altera parte Dominum nostrum JESUM Christum, splendido insidentem throno, suavi amœnâque facie, modestia, & majestate plenum, elevare vexillum, Diabolo è diametro oppositum, & omnes invitare homines ad sui imitationem, his amantissimis & suavissimis verbis: *Venite ad me omnes, qui huc usque sub captivitate Dæmonis genuistis, & ego reficiam vos. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11.

Sicut igitur venit, ut everteret Tyrannidem Diaboli; ita consiliis, motivis, & mediis prorsus diversis utitur ab iis, quibus Dæmon suas technas instruit. Animus ipsi est per-

perfuadere hominibus, ut ad sua signa confluant, arma illaturi inimicis Divinæ gloriæ, & propriæ ipsorum salutis, atque ut, ita obtentâ Victoriâ, æternam sibi felicitatem comparent. Media, quæ ipsis proponit, sunt efficax & præsens renuntiatio voluptatum, divitiarum, & honorum pro Religiosis; & separatio ab omnibus rebus pro Christianis, quæ adeo necessaria est, ut sine illa sperari falsus non possit. Ita enim docet S. Paulus, cum dicit: quòd illi, qui possident bona, debeant esse tanquam non possidentes; & illi, qui gaudent voluptatibus, tanquam non gaudentes; & illi, qui vivunt in hoc mundo, tanquam non viventes, disjuncto nempe ab omnibus perituris affectu.

Obsecro te: an aliquando in te ipso sensisti hanc à rebus humanis animi averfionem? Sollicita hæc cura, qua voluptatibus afficeris; hæc indignatio, si tibi tollantur;

hic

hic nimius in terrena affectus, si in mundo vivas; hic vilium recularum, quæ magnarum rerum pretium apud te occupant, tenax amor, cum Religiosus sis; hoc estimationis & honoris desiderium; hæc inquietudo, hæc fastidia, si quis tibi præfertur, denotant sanè, te corgerere rebus mundanis affixum, & cum Christi debeas, te Dæmonis vexillum sequi, nec hominis Christiani nomen mereri. Qui enim Christiani sunt, sequuntur Christum, & ejus mandatis obediunt. Ubi tu hoc fecisti? An erubescis Evangelium, & pudore abstraheris, ne te pro Christo declares, & virtutem profitearis? Non times, ne Christum quoque tui aliquando pudeat in extremo die Judicii, & quemadmodum tu ipsum inficiatus es, ita ipse etiam te tunc inficietur? Denique non est tibi curæ, ne te puniat, velut infamem transfugam, qui contra fidem, in Baptismo datam, ipsum turpissimè de-

se.

seruisti, ut Mundo & Dæmoni ad-  
hæreret, capitalibus ipsius inimi-  
cis? Ita, Domine, vehementer ti-  
meo, & adhuc magis timerem, ni-  
si dolor, quem, concepi, quòd e-  
rubuerim tua signa sequi, & me  
Christianum profiteri; ac firmum  
propositum, quo nunc statuo re-  
parare turpem hanc ignaviam, me-  
que sancta quadam audacia pro te  
publicè declarans, Mundum res  
suas habere jubeo; nisi, inquam,  
ille dolor & hoc propositum mihi  
spem facerent, te, qui mihi hoc  
consilium inspirasti, additurum,  
quoque animum & vires, quibus  
illud exequar.

*Qui non est mecum, contra me  
est. Matth. 12.*

*Qui me erubuerit, & meos ser-  
mones, hunc Filius hominis erube-  
scet, cum venerit in Majestate  
sua. Lucae 9.*



ME-

## MEDITATIO XX.

De tribus gradibus  
Humilitatis.

Postquam statuimus, in præcedente Meditatione, sequi signa Christi, S. Ignatius proponit tres gradus perfectionis, quos gradus humilitatis appellat. Per humilitatem intelligit submissionem humanæ voluntatis erga Divinam, in quo veræ humilitatis natura consistit. Proponit itaque tres gradus, ut videri possit, quemnam conscendere velimus.

## PUNCTUM I.

**C**onsidera 1. Primum humilitatis, sive perfectionis gradum in eo consistere, ut ita nos Divinæ legi & voluntati subjiciamus, ut malimus potius bona omnia, sanitatem, famam, honorem, & vitam ipsam amittere, quàm aliquod ex Dei mandatis violare, ejusque gratiam perdere.

Considera 2. Nihil esse ita rationi consonum, quàm ut creatura obe-

obediat suo Creatori, à quo habet omnia, & ex quo in omnibus dependet; & ut submittat suam voluntatem, debilem illam, corruptam, & cœcam, voluntati DEI sui, Omnipotentis, Sapientissimi, Justissimi, & Sanctissimi; ac denique ut præferat gloriam Divinam, quæ bonum aliquo modo infinitum est, voluptati, honori, & vitæ suæ, quæ in se aut nihil omnino sunt, aut certè perquam exigui ponderis.

Confidera 3. Nihil etiam esse hac subjectione homini utilius. Per hanc enim sibi pacem animi, amicitiam, & præsidium DEI, ac denique felicitatem æternam comparat.

Confidera 4. Christum JESUM suò nobis exemplò demonstrasse, quò usque hæc obedientia debeat eniti, postquam ipse DEO bona sua omnia, delicias, voluptates, quietem, gloriam, vitam ipsam, infiniti utique pretii, in Sacrificium obtu-

tulit, voluitque libentius, ut quidam SS. Patrum loquitur, perdere vitam & omnia, quàm obedientiam. Hoc exemplo animati SS. Martyres, promptissimò animò potius crudelissima tormenta & mortem ipsam subierunt, quàm ut legem DEI infringerent, & vel unicum peccatum mortale committerent. Ad hoc quoque exemplum tot Sancti Mundum, & quidquid in illo charum habuerunt, aspernati sunt, ne se perdendæ Divinæ gratiæ periculo exponerent.

Ecce primum humilitatis, sive perfectionis gradum, ad obtinendam æternam salutem prorsus necessarium! Esne tu semper in illo constitutus? Si hoc esset, num tam facile in hac & illa occasione peccatis lethiferis te contaminasses? Quòd si nunc in hoc gradu consistas, gratias, quas potes maximas, DEO age: noli tamen tibi applaudere, quia hæres adhuc in primo gradu, in quo omnes Christiani esse.

esse debent sub pœna æternæ damnationis; & fortè, nisi tibi blandiaris, causam adhuc dubitandi habes, an re vera ibi sis constitutus.

## PUNCTUM II.

CONSIDERA 1. Secundum humilitatis, sive perfectionis gradum in hoc consistere, ut aliquis se ita perfectè substernat voluntati Divinæ, ut malit jacturam bonorum omnium, sanitatis, honoris, vitæ facere, quàm DEO, vel in minimo, displicere, & vel unicum levissimum peccatum ex proposito committere.

CONSIDERA 2. Rationabilissimum omnino esse, ut creatura se in omnibus subjiciat suo Creatori; ut filius beneplacitum sui Patris ita cordi habeat, ut illud præponat omnibus rebus, statuâtque regulam suarum actionum. Denique justissimum esse, hominem ita ab omni offensa DEI abhorrere, ut in minimis æquè ac in gravioribus il-

li

li displicere nolit. Et hic est secundus perfectionis, sive humilitatis gradus.

Dic age, pervenistine ad hunc gradum? Hæc facilitas committendi peccata venialia, hæc exigua occasiones ad illa allicientes evitandi cura, levis iste dolor, quem de commissis concipis, abunde docent, te adhuc longè ab hoc perfectionis gradu esse remotum. Et tamen nondum est ultimus & supremus. Potest enim quis in eo stare, & ita comparatus esse animo, ut difficile ipsi non sit frui voluptatibus, modò sint innocentes; divitiis, modò legitimè acquisitæ; æstimatione, honore, & laude hominum, modò Divinæ gloriæ non obsint. Verùm hic status suis difficultatibus non caret. Nam 1. difficile est his bonis non affici: hic autem affectus libertati animæ, se totam DEO suo consecrantis, adversatur. 2. Deducit frequenter ad noxas veniales, non sine animi ad-

advertentis nota, quæ dubium facit, an non sint positio studio commissa. Denique hic status nondum se conformat statui JESU Christi. Ideo qui vult integrè perfectus esse, debet movere gressum ad tertium humilitatis gradum.

### PUNCTUM III.

CONSIDERA: Tertium humilitatis, sive perfectionis gradum in hoc consistere, ut quis ita animò sit comparatus, ut, si non esset majus offendendi DEI periculum, dum quis voluptatibus, divitiis, honoribus potitur, ac est in statu huic opposito, nihilominus ex sincero imitandi Christum, seque per omnia DEO pauperi, crucifixo, & exinanito conformandi desiderio vellet potius paupertatem divitiis, tolerationem voluptatibus, humilitatem gloriæ præferre; ita ut si quis ex Divinæ Providentiæ ordinatione obligatus esset vitam

du-

ducere intra honorum & voluptatum comitatum, tamen semper secretam & continuam haberet inclinationem, quæ ipsum ad paupertatis studium inflecteret: Ecce! hoc est, quod dicitur, habere spiritum JESU Christi.

Quàm sublimis est iste gradus! quàm perfectus, quàm excellens! Sed, bone JESU, quàm longè sum ego adhuc ab eo sepositus! quod satis prodit horror iste crucis & humilitatis, quem in me sentio; qui etiam ostendit, te à me, mi JESU, non verè amari; si enim te amarem, cuperem me tibi similem reddere, & amarem, quod tu amas. Non, mi DEUS, nemo te potest amare, nisi & crucem, & submissionem amet: Sed nec hæc quis amare potest, nisi te amet. Solum tui amor est, qui nobis possit tam sublimia, tamque naturæ contraria sensa inspirare. Volo, Domine, volo te sequi; sed, ut possim, necesse est, ut tu me trahas, etiam

re-

reluctantibus animi mei motibus, etiam renitentibus ratione & sensibus meis. Trahe me post te, & curremus. Fac me, ô mi JESU! diligere te, ut amem etiam individuos comites tuos, tolerationem, humilitatem, & paupertatem. Fac, ut mea voluptas sit, spernere tui amore omnem voluptatem: mea gloria, renuntiare omni Mundi gloriae, ut absit mihi gloriari, nisi cum S. Paulo Apostolo tuo in humilitate crucis tuæ. Fac denique, ut tua paupertas, tui dolores, tuæ ærumnæ sint meæ unicæ divitiæ, & loco omnium rerum, ô adorabilis, ô amabilis JESU!

*Estote ergo perfecti, sicut Pater vester Cælestis perfectus est. Matth. c. 5.*

*Æmulamini charismata meliora. 1. Cor. c. 12.*

*Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam. Philip. 3.*

L

ME-

**MEDITATIO XXI.****De tribus hominum****Classibus, qui omnes cupiunt  
salvi fieri,****Et****De diversa illorum ad  
hunc finem præparatione.**

Postquam S. P. Ignatius proposuit Meditationem de duobus vexillis, ut nos ad imitationem JESU Christi animaret; & illam de tribus humilitatis gradibus, ut perspiceremus, quo modo, & usque ad quem perfectionis gradum sequi ipsum velimus; nunc Meditationem de tribus classibus præscribit, ut explorare sinceritatem nostræ voluntatis, & cognoscere vires nostri propositi possimus. Ita appellat hanc Meditationem, quia comparatione trium mercatorum, volentium certam pecuniæ summam Dei servitio applicare; trium ægrorum, cupientium sanitatem recuperare; & trium Aulicorum, desiderantium Principi suo inservire, graphicè depingit diversas illorum dispositiones, qui Deo servire, suamque salutem in tuto collocare volunt. Primis satis est velle; nec enim media arripiunt, & longè minùs ad executionem tendunt. Secundi volunt quidem

adhibere aliqua media, sed illa tantum, quæ ipsis placent; non quæ magis idonea & necessaria sunt ad obtinendum scopum præfixum. Ultimi denique sunt parati ad applicanda omnia media, et si difficilia ipsis accidant, modò utilia & opportuna judicentur ad assequendum finem, ad quem tendunt. Et hi soli sunt, qui rem agere efficaciter volunt.

## PUNCTUM I.

*De falsa illorum persuasione, qui sibi imaginantur, se velle sequi Christum, & propriam operari salutem, sine applicatione medicorum.*

**C**ONSIDERA: difficile esse, hominem, qui, in sacro secessu, seriò expendit magnas illas & solidas veritates, sibi in eo propositas, de necessitate tendendi ad ultimum finem, & pro sua salute laborandi; de miseris eorum, qui inde deflectunt; de commodo & utilitate illorum, qui per rectam se-

L 2

mitam

mitam decurrunt, & Christum sequuntur, tam certum, tamque peritum, & amabilem Ducem; de securitate viæ, quã ipse nobis stravit, & excellentiã virtutum, quarum exemplõ nobis præluxit; difficile, inquam, esse, hominem talem non habere mentem illustratam, & intellectum convictum splendore tam illustrium veritatum. Atque ideo facile sibi persuadere poterit: detestari se suos errores, & suorum peccatorum horrore percelli: proposuisse se firmiter tutiorem deinceps ingredi viam, & amare virtutes, quas agnovit esse tam præstantes. Cum tamen à sua opinione fallatur, dum sibi imaginatur, quæ mente & animo volvit, etiam in cor descendisse, & contemptum, quo vitia damnat, esse verum horrorem; æstimationem autem, quam de virtute concepit, esse sincerum amorem. Certè justa subest timendi causa, ne se ipsum decipiat, si in his subsistat,

nec

nec manus extendat ad arripienda media, quibus adjutus, ad finem, quem sibi propofuisse videtur, per-tingat. Hæc omnia tantum in men- te, nondum in voluntate verfan- tur: aut si voluntas aliquam par- tem habet, si aliquem averfionis contra malum, aut amoris pro bo- no motum elicit; hæc averfio non erit, nisi leve fastidium, quo per- niciosos vitii & peccati partus aver- fatur, non feria & efficax detesta- tio: hic amor erit quoque tantum debilis oblectatio de bono, non sincerus virtutis amor, nec efficax defiderium fequendi Christum, & omni cura ad propriam salutem incumbendi. Ut quis velit fince- re & efficaciter finem, necesse est, ut amplectatur media, quibus ad illum pervenitur: & hoc est, quod isti non faciunt; aut si adhibeant aliqua media, erunt illa ipforum genio, non fini, conformia. Hi tales fimiles sunt illi ægro, de quo S. Ignatius loquitur, qui vult ad-

mittere remedia, non quæ Medicus iudicat sanitati consentanea, sed quæ ipsi arrident: similes illi Aulico, qui vellet servitia præstare suo Principi, non in conflictu periculorum & pulvere militari, sed in aulæ & mollioris vitæ deliciis. Non est autem prudentium ullus, qui censeat, hos tales agere bona fide, & finem seriò & efficaciter velle.

Nónne & ego cogor coram DEO, pari pudore & sinceritate, confiteri, me, huc usque blandienti hoc errore deceptum, mihi ipsi assentatum esse, ac si cogitationem concepissem de procuranda mea salute & perfectione, cum interea neglexerim uti illis mediis, quæ inspiratio Divina, & consilia mei Cōfessarii, & ipsa mea conscientia mihi suggererunt, velut magis propria & necessaria ad salutem meam in tuto ponendam, & ad hauriendum in via perfectionis profectum? Nempe in mentem nunquam re-

*Meditatio Vigesima Prima. 247*

vocavi illa JESU Christi verba:  
*Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine! intrabit in Regnum Cælorum. Matth. c. 7. v. 21. Spero, mi DEUS, de tua bonitate, facturum te per tuam gratiam, ut emendem errorem, in quo huc usque fui, quem ut agnoscerem, Cælesti tuo lumine effecisti; suppeditaturum mihi etiam animum & vires, quibus de iis mihi mediis prospiciam, quæ, te adjuvante, utiliora cognovero ad procurandam animæ meæ salutem, & ad hauriendum in via perfectionis progressum.*

**PUNCTUM II.**

*Falsa hæc persuasio radix est corruptela, & iactura majoris Christianorum partis.*

**C**onsidera: non esse hominem tam perversi ingenii, qui non dicat, se velle salvari. Nullus Pec-

catorum est tam perfriētæ frontis, ut non aliquoties asserat, se velle converti: nullus tantæ ignaviæ Religiosus, qui non credat, se velle aliquo modo pervenire ad perfectionem. Quia nullus hominum est tam stolidus, tamque sui inimicus, ut se perditum velit. Alterutrum autem ut fiat, necesse est, vel ut velis te salvari, vel ut velis te damnari; nec enim datur medium. Omnes malæ vitæ Christiani, qui utique majorem numerum conficiunt, dici possunt nolle efficaciter converti; omnes Religiosi socordes & ignavi nolle sincerè acquirere perfectionem; quia nulla adhibent vera media: ideo si rem in fundo spectemus, volunt damnari. Itaque hic putridæ farinæ Christianus, qui tantopere protestatur, velle se salvari, suis sibi moribus contradicit, quia nec peccata, nec peccandi occasiones vitat; quia nullum ponit in subigendis indomitis suis motibus studium;

dium; nullam sibi in ulla re vim infert, & , quod consequens est , nulla apta adhibet media, quibus posset ad finem sibi propositum promoveri. Hæc etiam ex pari ratione intellige de Religioso.

Hic error, qui magis ex opere ipso & experientia, quàm ex ratiocinatione innotescit, facile apprehenditur, si quis se ipsum inspiciat, & actiones suas examinet. Est autem alius longè periculosior, quia occultior. Et est illorum, qui quidem adhibent aliqua media, quibus finem sibi præfixum assequantur; sed non ea, quæ oportet adhibere, aut certè non magis idonea. Hi in eò graviore periculo versantur, quòd videantur præstare aliquid pro sua salute, & ideo securos se arbitrantur; quia tamen non omnia præstant, quæ deberent, se evidenti sui interitûs discrimini objiciunt. Sic hic homo vult quidem abstinere à frequentando infami hoc loco; sed non

vult discedere ab hoc commercio & negotio, quod ipsi est perpetua peccandi occasio. Ille vult cavere ab illicito hujus Personæ aspectu; sed ut ipsam penitus amplius non aspiciat, impetrare à se ipso non potest, quod tamen ipsi omnino esset necessarium, si quidem & naturæ, & virtutis suæ imbecillitatem consideret. Ille vult quidem dare eleemosynam; sed justum, quod habet, dubium de iniqua alieni boni possessione sibi eximere non sustinet, ne fortè restituere cogatur. Alius vult quidem aliquod temporis spatium precibus, & sacrae lectioni tribuere; sed adire Sacramenta detrectat. Hæc famina vult exercere opera misericordiæ; sed invigilare liberorum educationi, & instructioni domesticorum, quod ex officio, & statûs sui ratione deberet, prorsus negligit. Illa vult quidem abrumperè illecebrosum hoc commercium; sed lusum, & certas a-

ni-

nimi relaxationes, quæ illuc trahunt, deserere non potest. Ista vult quidem accedere SS. Sacramenta; sed se ipsam componere, marito morem gerere, imminuere luxum, & liberioris vitæ blandimenta moderari non vult. Hi tales habent, ut videtur, causam aliquam credendi, quòd damnari nolint; sed cum non agant, quæ pro sua salute agere deberent, propè omnino nihil agunt.

Nihilominus major hominum pars in mundo ita comparata est, etiam illi, qui perquam honesti habentur, & fortè plures, qui intra religiosa claustra vitam degunt. An non, Domine, & ego in hac nave navigo? An non tantò majorem timendi causam habeo, quantò mihi minùs timeo? cum hæc ipsa securitas, qua mihi blandior, fortè erroris & cœcitatæ meæ partus sit, qui periculum celat, & viam mihi adimit, qua illud prævenire, & evitare possem. Hæc

mea negligentia, quæ fecit, ut ufus non fim mediis, quæ tu mihi velut comparandæ salutis meæ aptiora ostendisti; hæc ignavia mea, qua illa rejeci, quæ difficiliora, & inclinationi meæ ac sensibus contraria videbantur; hæc inconstantia, qua dimittere nolui, quæ minùs idonea elegeram, an non satis probant, me nondum efficacem, in agendo salutis meæ negotio, voluntatem habere? An non satis demonstrant, placuisse mihi me ipsum demulcere, & inani ac falsa persuasione lactare, quasi seriò salutem meam quærerem, cum interea, neglectis mediis, illius procurandæ me impotentem redderem? Averte, mi DEUS, hanc calamitatem à me, & cum tu sis Dominus voluntatis meæ, fac, ut illa sincerum & efficax tibi serviendi, atque ita salutis meæ stabilien-  
dæ desiderium concipiat.

*Vult, & non vult piger. Proverb. 13.*

*Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus eius operari. Proverb. 21.*

*Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine! intrabit in regnum Cælorum. Matth. 7.*

## CONSIDERAT. VII.

### *De Electione.*

I. **E**lectio est admirabile S. P. Ignatii inventum; quod ipse in certam methodum reduxit, cuius nobis regulas præscripsit, per quas circa electionem statûs, aut cuiusvis alterius negotii, de quo deliberare volumus, DEI voluntatem cognoscere, & nos ita præparare possimus, ut agnitam sequamur.

II. Nihil est utilius hoc electionis exercitio; quia nihil est tanti momenti, ac cognoscere, & sequi voluntatem DEI in iis, quæ ad electionem statûs vitæ nostræ pertinent. Ex ea dependet nostra qui-

es, & animæ nostræ salus; DEUS enim nobis gratias ac benedictiones, ad hanc & ad illam necessarias, alligavit certo statui, in quo nos ex arcano Divinæ suæ Providentiæ consilio, vult esse constitutos; ita ut nobis suum auxilium & concursum nunquam sit suppeditaturus, nisi hunc statum amplectamur. Subtracta autem ope Divina, quid aliud expectare possumus, quam nostram damnationem, quàm jacturam bonorum, fortunarum eversionem, inquietudinem continuam, mortale tædium, & omnis generis misérias in hoc, & in altero mundo?

III. Dispositiones porrò pro faciendâ rectâ electione sunt 1. Clara & viva cognitio finis, ad quem conditi sumus. 2. Firmum propositum nihil non agendi, ut illum assequamur; omnia removendi, quæ nos ab illo avertere possent; amplectendi cuneta, quæ nos eò deducunt; denique nulli parcendi  
pre-

pretio, quo æternam salutem comparemus. 3. Constans cura, & conatus se semper tenendi collectū, & à vanis impedimentis & immoderatis affectionibus expeditum, ut ita se quis perfectè indifferentem, & velut in æquilibrio positum conservet, paratus semper eò inclinare, quò spiritus Domini nos impellet.

IV. Quod spectat ad tempus faciendæ electioni proprium, S. Ignatius nobis tria distinguit. Primum est, quando DEUS ita intellectum illustrat, ut de vocatione DEI dubitare non possit, atque ita voluntatem trahit, ut deliberandi spatium non habeat. In hunc modum vocavit S. Matthæum, & S. Paulum. Alterum est, cum per lumen minùs quidem vivum, satis tamen clarum, homini suam voluntatem cognoscendam præbet; & cum per gratias minùs fortes, allicientes tamen valde, & per abundantiam consolationum, sua-

vi-

viter & fortiter illum impellit, ut se sequatur. Tertium denique est, quando homo absque eo, quòd sit tantâ luminum & gratiarum abundantia præoccupatus, se videt in magna libertate spiritûs constitutum, ut possit, ordinariô DEI auxiliô, post propositum sibi finem, ob quem creatus est, se applicare ad cognoscendam DEI voluntatem circa electionem sui statûs.

V. Circa materiam electionis notandum est 1. Illam non posse esse malam; nam id, quod eligitur, non tantum debet esse bonum, sed etiam melius, ut Philosophus docet. 2. Finis non potest esse materia electionis; cum ex Philosophia constet, finem non subesse electioni, quia nemo deliberat de fine. Quis enim in deliberationem vocat, an velit esse felix & beatus? certè voluntas motu necessario fertur in finem. 3. Res, quæ potestati nostræ amplius non subsunt, non possunt venire in electionem. Sic  
illi

illi qui certo jam statui, puta, matrimonio vel Sacerdotio, affixi sunt, non amplius opus habent electione; nisi fortè circa media, quibus, quantum fieri poterit, reparare volent errores à se commissos, dum hos status improvidè, & nec consulto, nec vocante DEO, amplexi sunt.

VII. Prima igitur & principalis materia electionis est vitæ status; ne ulli nos illigemus ex levitate animi, vel ex respectu humano, vel ex impetu, vel ob spem proventus aut aliam considerationem humanam, sed unicè quia DEUS nos illuc vocat. Deinde omnia alicujus ponderis negotia: ut si suscipiendum est aliquod officium, acquirendum beneficium, concludendum testamentum. Denique omnia ea, quæ ad cursum vitæ nostræ rectè dirigendum pertinent: ut sunt administratio familiæ, ordinatio occupationum, sumptuum, temporis, actionum quotidiana-

dianarum, bonorum, eleemosynarum, quas quis facere proponit; item usus & frequentatio Sacramentorum, eaque accedendi modus. Præterea possumus eligere certum aliquod vitium, quod oppugnare & extirpare; aut particularem aliquam virtutem, quam comparare decrevimus.

VII. Ut autem modus & methodus electionis rectè observetur, exactè sequi oportet regulas à S. Ignatio præscriptas. Proponenda in primis est res, de qua deliberare volumus, & semper præ oculis habendus finis, propter quem in mundo sumus, qui est servire DEO, & nosmet ipsos salvos reddere. Tum, postquam bene concepimus, quanti id momenti, ponderis, & necessitatis sit, tenendus est animus ab omni partium studio liber, & velut in æquilibrio, ut nec in hoc, nec in illud latus propendeat, nisi ut illud amplectatur, quod ad provehendam DEI gloriam

riam & animæ nostræ salutem optimum utilissimūque fore, judicaverimus. Demum petendum instanter à DEO lumen, quo agnoscamus ipsius voluntatem, & auxilium, quo juvante illam in omnibus sequi possimus.

VIII. Consideranda præterea, sunt commoda & utilitates, quas & pro gloria DEI, & pro nostra salute capere possumus ex hoc statu v.g. Religionis, ex hoc munere, hoc officio &c. Hæ sunt duæ regulæ, quibus unicè in hoc deliberationis negotio dirigi debemus; Nec res in genere tantum ponderandæ sunt, sed singillatim, & factâ ad nos, nostram conditionem, ætatem, temperamentum, inclinationem comparatione. Quin & è contrario expendenda sunt incommoda, obstacula, & pericula, quæ nasci possent, aut quibus nos exponeremus, si hunc statum, aut hoc officium susciperemus. Hæc ipsa commoda & incommoda utrin-

trinque scriptô excipienda sunt, & inter se comparanda: ex. gr. commoda & incommoda statûs Religiosi cum commodis & incommodis statûs Matrimonii, & vicissim commoda & incommoda hujus cum commodis & incommodis illius. Tum in illam partem inclinanda erit nostra voluntas, ubi plus emolumenti, minus obstaculi pro nostra salute reperiemus.

IX. Ut de voluntate DEI nos adhuc certiores reddamus, considerare oportet 1. Illud ipsum consilium nobis adhibendum esse, quod in hac occasione consulti, alteri daremus, cujus salutem, & perfectionem ex amore sincero desideramus. 2. Explorandum est cor nostrum, & videndum, quid à nobis factum vellemus, si in articulo mortis constituti, coram DEO, supremo nostro Judice, comparere deberemus; & secundum hoc iudicium, quod, quia ab æternitate dictatum, longè defæcatus est, quam

quàm quod falsæ affectionum nostrarum persuasiones suggerunt, in id nunc seriò incumbendum est, quod tunc à nobis præstitum esse, optaremus.

X. Denique recurrendum est ad preces, quibus à DEO petamus, ut, si id, quod bona fide elegimus, verè ad promovendam ipsius gloriam & animæ nostræ salutem utilissimum sit, nos in eo confirmare, & ita stabilire dignetur, ut nihil omnino sit, quod nos amplius inde dimovere possit.

XI. Hæc omnia communicanda sunt cum nostro Directore, ut, quid ipse sentiat, intelligamus. Recipienda sunt ipsius lumina, & ea illi declaranda, quæ DEUS nobis dedit: atque ita omnia ipsius iudicio & directioni submittenda, ex justo timore, ne fortè nosmet ipsos in aliquem implicemus errorem.

## LECTIO

## Pro Septimo Die.

Ex S. Scriptura. Cap. VII. ex S. Matth.  
De Imit. Christi. Cap. XXXII. LIV. &  
LVI. Lib. III.

Ex Duce Peccat. Lud. Granat. Cap. I. & II.  
Lib. II.

Ex P. Rodriq. Cap. V. Tract. I. Part. III.



DIES OCTAVUS.

DE VIRTUTIBUS

*Vitæ publicæ Christi,  
quas imitari debemus.*

Sicut JESUS Christus esse voluit absolutum pro omnibus statibus Prototypon, ita etiam propria pro omnibus virtutum exemplum præbuit. Quemadmodum enim in sua Persona virtutes vitæ absconditæ spectandas dedit, ita etiam publicæ demonstravit: quas ad tres principales reducere possumus; ad illas nimirum, quæ hominem rectè componunt respectu DEI, respectu proximi, & respectu sui ipsius. Prima est Puritas intentionis, sive Zelus Divinæ gloriæ. Secunda, Caritas, quæ nos proximo addictos reddit, ut & ipsi bene velimus, & bene faciamus. Tertia est Mansuetudo, quæ in nobis iram moderatur, & animi sensus subigit.

---

MEDITATIO XXII.

De Puritate intentionis,

Sive

De Zelo Divinæ gloriæ.

PUN-

## PUNCTUM I.

*Motiva, quæ nos ad hanc  
virtutem excitare de-  
bent.*

Tria sunt principalia motiva, quæ nos ad puritatem intentionis, & ad quærendam in omnibus Divinam gloriam impellere debent. 1. quia hoc est unicum DEI bonum. 2. quia est unicus finis omnium operationum, quas Deus extra se producit. 3. quia fuit unica occupatio JESU Christi, dum in Mundo degeret.

**C**ONSIDERA I. Gloriã DEI propriè esse bonum, & quidẽ unicum bonum DEI; ex quo sequitur: illam esse aliquid grande, aliquid infinitum, aliquid Divinum. Pretium & magnitudinem alicujus boni metiri solemus juxta excellentiam illius, ad quem spectat. Sic honor & gloria hominis, illustri profapia oriundi, pluris fit, quàm honor alicujus rustici; & gloria Regis sine comparatione majoris ponderis æstimatur, quàm  
no-

honor alicujus Nobilis. Cujus igitur existimationis esse debet gloria DEI? cum quo si potentissimi hujus Mundi Monarchæ, si nobilissimæ quæque creaturæ, quæ sunt, & quæ esse possunt, etsi in immensum crescant, conferantur, nihil sunt: *quasi non sint, sic sunt coram eo.* Isa. 40. v. 17. Quid ergo erit omnis illorum gloria, si cum minima DEI gloria in comparationem veniat, nisi purum nihilum, & grande inane?

Ex quo jam deducitur primò: conversionem unius animæ, & minimum virtutis actum, quo Divina gloria promovetur, illustrius longè aliquid esse, quàm præclarissima summorum Imperatorum facinora, & integri Imperii, imò totius Mundi expugnationem. O quàm hæc cogitatio potest Animæ Christianæ inspirare sanctum fastidium, & generosum contemptum omnium rerum, quæ DEUS non sunt, aut non ad DEUM refe-

runtur! O quàm animi humiles & modesti, hac cogitatione bene imbuti, facillè ad veram magnanimitatem assurgunt!

Deducitur ulteriùs: vitam & bona omnium creaturarum tanti non esse, ut jacturâ vel minimi gradûs Divinæ gloriæ conservare ea fas sit. Imò si necesse esset, ut creaturæ pro conservatione aut reparatione honoris DEI omnia sua bona, omnia commoda, omnes delicias, & vitam ipsam offerrent, non tantùm non deliberare, sed se felicissimas reputare, si id facere possent, ac sibi penitus persuadere deberent, quòd hæc omnia DEO sacrificare, minus adhuc foret, quàm si vita miserimi & vilissimi mancipii pro gloria maximi in hoc Mundo Regis immolaretur. Quia hæc omnia tantùm sunt bonum creaturarum, quod cum bono DEI nullam penitus proportionem habet.

Considera II. Gloriam Divinam esse unicum finem omnium illo-

rum,

rum, quæ DEUS extra se operatur. Si igitur creat Mundum; si illum redimit; si mittit suum Filium; si illum condemnat ad mortem; si facit descendere Spiritum Sanctum; si nobis impertitur gratias; si nobis promittit Paradisum; si minatur infernum; hæc omnia ordinat ad suam gloriam: quidquid facit intra gratiæ & naturæ ordinem, id eò tendit. Ex his

Sequitur primò: nihil esse, quod nos æquè DEO similes reddat, ac laborare, & operari ad ipsius gloriam; &, quod consequens est, nihil nos æquè sanctos, felices, & gloriosos efficere.

Sequitur secundò: Sicut propositum, quod DEUS habet procurandæ suæ gloriæ, est principium omnium bonorum, quæ suis Creaturis largitur (ideo enim tantum pulchritudinis, & tantum perfectionis illis communicat, ut ab hominibus cognoscatur, & ametur, in quo propriè DEI gloria consistit) ita de-

fiderium, quod concepimus promovendæ Divinæ gloriæ, fontem esse infinitorum pro nobis bonorum; quia quò magis ea, quæ DEI sunt, quærimus, & quò minùs nostra curamus, eò magis illa reperimus, & cum majori proventu.

Confidera III. Gloriam DEI fuisse unicam Christi occupationem, quàm diu in mundo vixit; ad hanc enim retulit omnes suas cogitationes, omnia consilia, omnes tolerationes, omnes labores, omnes omnino actiones: *Ego, inquit, non quero gloriam meam, sed eius, qui misit me. Si quero gloriam meam, gloria mea nihil est.* Joan. 8. v. 20. Divinæ igitur gloriæ omnia consecravit, sua bona, sua commoda, sua solatia, suam gloriam, suam vitam, & quidquid denique erat; ut nobis demonstraret, quid sit gloria DEI, & in quanto pretio & existimatione illa nobis debeat esse: cum nihil meliùs concipere faciat, quantum valeat gloria DEI, quàm

*Meditatio Vigesima Secunda. 269*

quàm videre, Hominem-DEUM se illius procurandæ & augendæ gratiâ propè ad nihilum reduxisse.

Heu Domine! si bene concepissem pretium gloriæ tuæ, tantâne unquam ignaviâ functus fuisssem munere meo? Tantâne facilitate omissem consueta pietatis exercitia, & ea, quæ ad cultum tuum spectant, tuamque gloriam promovere possunt? Tantâne illam procurâssem negligentia? levitate sprevissem? insolentiâ conculcâssem? illique aut meam, aut alterius miserabilis creaturæ gloriam prætulisssem? Mererer fanè, ob gloriam tuam ita contemptui habitam, ut deinceps omni illam promovendi gratia privarer. Sed si ego indignus sum, qui te glorificem; tu dignissimus es, qui ab omnibus creaturis glorificeris. Ad hoc impofterum & ego omni studiô & curâ incumbam. Tua gloria post-hac unicus semper cogitationum & desideriorum meorum scopus

erit. Ad hunc, volo, ut primæ meæ  
evigilantis, & ultimæ indormien-  
tis cogitationes collineent: aut po-  
tius nolo habere ullam aliam toto  
die, imò totâ vitâ meâ cogitatio-  
nem, quæ non ad hunc finem ten-  
dat.

## PUNCTUM II.

*Quibus dotibus instructa esse  
debeat hæc Puritas In-  
tentionis?*

**C**onsidera I. Hanc pro gloria  
Divina intentionem debere es-  
se universalem, & se non tantum  
ad generale vitæ nostræ regimen,  
sed ad omnes etiam particulares  
actiones extendere, ita ut nulla  
omnino, etsi maximè indifferens,  
sit, quæ ad illam non dirigatur;  
cùm rationabilissimum sit, ut sicut  
nihil penitus in nobis est, quod  
non à DEO profluat, ita etiam nihil  
esse debeat, quod non ad ipsum re-  
feratur. Ita nos docet, & horta-  
tur

tur S. Paulus hīs verbis: *sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* 1. Cor. c. 10. v. 31.

Ita Domine, ita sanè nulla deberet esse mearum cogitationum, nulla mearum actionum, quæ non ad te referatur: & ego nescio, an vel una totius meæ vitæ fuerit purè & unicè ad te directa, & cujus non aliquam partem amor proprius, aut aliæ meæ pravæ affectiones sibi vindicaverint. Si ita est, si verum est, quòd omne id, quod non fit propter te, Cœlo inutile, & in omnem æternitatem perditum sit, quid aliud est tota mea vita, quam continua, ut ita loquar, tot felicitum æternitatum jactura, quot possem mereri gradus æternæ gloriæ per quamlibet actionem unicè propter te elicitam? Quo titulo, Domine, possem prætere Cœlum, si jam mihi moriendum esset?

Confidera II. Hanc intentionem debere esse vivam & actualem. Li-

cet enim ex multorum Theologorum doctrina intentio habitualis, qua quis manè suas actiones in genere DEO offert, sufficiat, nec necesse fit, eam omnibus in particulari applicare; consentaneum tamen, & maximè è nostra utilitate est, ut singulas DEO per actualem intentionem offeramus, antequam illas ordiamur: non tantum quia sic majori cum fervore & merito operamur ( qui solidissimus, & illusionibus minus subjectus, se semper in conspectu DEI continendi modus est; eò quòd practica cum DEO unio, & continuum amoris DEI exercitium sit ) sed etiam quia necesse est, ut hæc intentio habitualis verè influat in actionem, & se ad illam referat, ut meritariam reddat. Cùm autem remota & habitualis tantum sit; facile accidere potest, ut per nostram fœcordiam hæc relatio cesset, & influxus iste interrumpatur, aut penitus destruat per motus huic  
in-

*Meditatio Vigesima Secunda.* 273

intentioni contrarios, quibus nos saepe permittimus abripi, ut sunt motus vanitatis, nostræ concupiscentiæ, & amoris proprii.

Confidera III. Hanc intentionem debere esse præcellentem & omnibus superiorem, hoc est, ut per illam præferamus minimum Divinæ gloriæ gradum quibuscunque nostris commodis; ita ut, si gloria & beneplacitum DEI concurrant cum nostro honore, cum nostro proventu, cum nostris commodis, hæc omnia sacrificemus, & Divino beneplacito postponamus. Quod si DEI & nostra gloria, DEI & nostrum beneplacitum ac commodum inter se conveniant, & in eadem actione conjungantur, semper ea, quæ DEUM spectant, in nostro animo & corde primum occupare locum, & principale motivum esse debent, cui nostra omnia semper subordinentur. Ita si ego meum gustum, meum proventum, meam gloriam deprehendam

in aliquo opere, quod propter DEUM facio, id minimè animum meum movere, nec me ad agendum impellere debet, sed sola & unica gloria DEI. Facile porrò advertemus, an intentio nostra iusta sinceràque sit, si nimirum opus aliquod, quod non nostræ inclinationi, sed tantùm DEO soli gratum acceptumque esse agnoscimus, paritamen zelò & fervore exequamur.

Confidera denique IV. Hanc intentionem debere esse puram. Hæc conditio addit aliquid tertiæ, quæ tolerat, ut quis possit etiam habere aliquem respectum ad proprium bonum, modò illud Divinæ gloriæ substernatur. Hæc autem rejicit, & repellit omnem respectum & considerationem ad proprium emolumentum, non tantum naturale, sed etiam supernaturale, & vult, ut quis purè & unice respiciat DEUM, & si nostra commoda cum DEI gloria essent connexa, hanc solam, non illa at-

ten-

tendere præcipit; ita ut bona spiritualia, & dona DEI maximè admiranda, abundantia gratiarum prorsus singularium, impetratio virtutum excellentissimarum, ipsa etiam Paradisi gloria animam, eò usque evectam, ne quidem tangant, in quantum sunt bona ipsius propria: in his omnibus nec videt, nec respicit aliud præter DEUM, nihil nisi gloriam Divinæ Majestatis attendit, & observat. Et hæc denique est perfectio & exercitium puri amoris, quò sensim & sine sensu ducit hæc perfecta intentionis puritas.

O statum beatum! quàm felix est illa anima, quæ te possidet! Tu es genuina imago felicissimi illius statûs, quo Beati in Cœlo perfruuntur, qui nihil vident, nihil cogitant præter DEUM, quibus DEUS omnia est in omnibus, & qui se ipsos obliviscuntur, & perdunt in DEO, ut in ipso se felicissimè reperiunt. Sed, prò dolor! amor pro-

prius, qui mihi dominatur, hi respectus humani, hæc sollicita commodorum meorum cura, hi perpetui ad me ipsum regressus fatiſ superque ostendunt, quantô adhuc intervallô sim remotus à felici hoc statu, quæque sint obstacula, quæ me impediunt, ne illuc pertingam. Juva me, Domine, tuâ gratiâ, & dona mihi sanctum tui amorem, ut, quod debeo, re ipsa præstem.

*Soli DEO honor, & gloria. 1. Tim. c. 1.*

*Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. 1. Cor. c. 10.*

*Non nobis, Domine, non nobis; sed Nomini tuo da gloriam. Psal. 113.*

## MEDITATIO XXIII.

De Charitate Proximi.

PUN-

## PUNCTUM I.

*Motiva, quæ nobis exercitium hujus Virtutis suadent.*

**C**ONSIDERA I. Christum JESUM  
suò nos præceptò ad amandum  
proximum obligare, atque ita nos  
certos reddere, hoc propriè suum  
esse præceptum: quod per excel-  
lentiam suam appellat, ut nobis in-  
finuet, quantopere illud sibi cordi  
sit: *hoc est præceptum meum, ut  
diligatis invicem.* Joan. c. 15. v.  
12. Quin, ut ostendat, quanti  
illud æstimet, etiam cum manda-  
torum omnium primo, quod est  
diligere DEUM illud comparat. Ait  
enim: secundum præceptum esse  
simile primo: *Secundum verò simi-  
le est huic.* Vocat illud *Manda-  
tum novum*, aut quia scopus & fi-  
nis est novæ legis, aut quia à nobis  
exigit, ut eo modo & perfectionis  
studio amemus nostros fratres,  
M 7 quo

quo ipse nos dilexit. Denique protestatur, observationem hujus mandati signum & characterem esse, quo ipsius discipuli ab aliis distinguuntur: *in hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. c. 13. v. 35.

Considera II. Christum adhuc longè fortiùs nos ad amorem proximi incitare suò exemplò; cùm ipse eò usque charitatem suam extenderit, ut ultrà progredi non potuerit. Profudit enim sanguinem & vitam pro suis amicis: sed quid dico, pro amicis? etiam pro suis crudelissimis inimicis & tortoribus, & quidem eo tempore, quo rabie prorsus insanâ & inauditò furore in ipsum desævierunt: *cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Rom. c. 5. v. 8.

Considera III. Ipsum etiam nos ad hunc amorem impellere ex motivo gratitudinis, cùm pro infi-  
ni-

*Meditatio Vigesima Tertia.* 279

nitis titulis, quibus ipsi obstricti sumus, nihil aliud exigat, quam ut proximum amemus. Quid non debemus Christo? & ad quid non præstandum tenemur, si ipse petat? Sed nec nostrâ operâ, nec bonis opus habet, imò jus suum transtulit in proximum, & si quid huic, etsi minimo, boni præstabimus, ipse in acceptis feret: *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. c. 25. v. 40. Quin insuper protestatur, quòd, si quis unum suorum fratrum offendat, se ipsum non solum offendat, sed etiam pupillam oculi sui tangat, delicatissimam utique corporis partem. Præterea in extremo die iudicii, cum malos ad ignem æternum condemnabit, justos autem infinitâ gloriâ donabit, videbitur oblitus eorum, quæ pro se, aut contra se acta sunt; quia non fulminabit reprobos, nisi quia proximo nihil boni præstiterunt; nec remunerabitur electos, nisi quia

quia opera misericordiæ erga fratres suos exercuerunt.

Confidera denique IV. Ipsum executionem hujus præcepti nobis suadere efficacissimis rationibus. Quid enim est magis rationi consentaneum, quàm amare hominem, eodem, quo nos, pretiosissimo Christi Sanguine redemptum; qui eodem beneficio, quo assumptus est in Filium DEI, effectus est etiam noster frater; qui eorundem Sacramentorum particeps redditur, & quotidie eodem Christi Corpore & Sanguine pascitur; qui ad eandem nobiscum felicitatem, & per eadem media aspirat; hominem denique, qui ideo creatus est, ut nos amet, & à nobis ametur per omnem æternitatem, si quidem ad eam electi & prædestinati sumus, uti sperare licet? Quid denique rationabilius, quàm custodire illud præceptum, cujus observatio omnes homines, sincerâ inter se amicitiam conjungeret, &

quod

quod sequitur, ad communem pro-  
nostra salute laborem erudiret, at-  
que Mundum ipsum in verum Pa-  
radisum, & sedem pacis efforma-  
ret.

Omnes hæ rationes, mi Domi-  
ne, sunt totidem carbones igniti,  
quos supra caput meum accumu-  
las, vel potius quibus cor meum  
includis, ut ipsius durities & gla-  
cies emolliatur, & liquefiat; sed  
huc usque frustra. Cogor enim,  
prò dolor! fateri, me non tantum  
non dilexisse meum proximum,  
sed ne quidem te ipsum amasse,  
quia te amare non poteram, nisi  
amarem meum fratrem; cum hæc  
fit legitima & fortissima probatio,  
quam de amore meo exegisti: at-  
que adeò me non fuisse unum ex  
veris tuis discipulis, &, quod con-  
sequens est, ne quidem bonum  
Christianum; quia charitatem il-  
lam non habui, quæ, te teste, u-  
nicus est veri Christiani character,  
Tuum est, Domine, ut hunc cor-  
di

di meo imprimas, meque facias te sincerè diligere, & omnes meos fratres in te, per te, & propter tui amorem.

## PUNCTUM II.

*De exercitio Charitatis, ejusque dotibus.*

**C**ONSIDERA: Charitatem primò debere esse supernaturalem, ita ut non oriatur ex temperamento aut ex sympathia, nec ex naturali quadam honestate aut amoenâ indole, nec ex debita gratitudine ob accepta beneficia, nec denique ex mundana quadam Politicâ & lucri expectatione; sed ut JESUS Christus sit unica illius forma, motivum, & scopus, in quem solum oculos & mentem semper figamus, & quem solum in fratribus nostris amemus. Ita enim charitas nostra evadet facilior & elevatior, colligétque plus meriti, imò etiam in ordinem virtutum Theologicarum redigetur.

Secun-

Secundò debet esse sincera, ita ut non diligamus proximum nostrum verbò tantùm & ore, sed opere & veritate, ut loquitur S. Joannes; ut ipsum amemus ex corde, & eo affectu, quo nosmet ipsos complectimur. Hæc enim est mensura & regula, quam DEUS ipse charitati nostræ præscripsit, quamque sequi in omni officiorum genere oportet, quæ fratribus nostris præstare debemus.

Tertiò debet esse efficax, sive nos avertat, ne proximo malum inferamus, sive nos impellat, ut ipsi & velimus, & faciamus bene. Impedit autem nos, ne quid mali irrogemus, si vitia charitati contraria in nobis extinguat, de quibus S. Paulus loquitur: nempe acerbiter animi, cum nos offensos credimus; rixas & jurgia, cum alia, à nostra, mens & opinio concipitur; invidiam & livorem, cum amor proprius nobis dictat, alterius prosperitatem nostræ ob-  
staculo

staculo esse, & alieno honore no-  
 strum obscurari; malignitatem,  
 qua delectamur, si proximus non  
 nihil prematur; ferociam, qua  
 ipsum fastidiosè & contemptum  
 tractamus; elationem animi, qua  
 pro potestate ipsi imperamus; im-  
 petum, quo ipsum indignè habe-  
 mus; judicia temeraria & noxias  
 suspiciones; affectum nimium,  
 erga nostra commoda cum præ-  
 iudicio alterius; desiderium e-  
 mergendi per depressionem no-  
 strorum fratrum; verba acerba,  
 cavillantia, inurbana; gaudia se-  
 creta & maligna de alterius infor-  
 tunio aut lapsu; denique illa om-  
 nia tollit, & refecat, quæ vel mini-  
 mè charitatem lædere possent.

Verùm charitas non tantum nos  
 cohibet, ne quid mali aut velimus,  
 aut faciamus proximo; sed etiam  
 nos urget, ut omnia ipsi bona cum  
 corporis, tum animæ, non minus  
 ac nobis ipsis, precemur: imò nos  
 impellit, ut ipsi ea procuremus, si  
 qui-

*Meditatio Vigesima Tertia.* 285

quidem sit in nostra potestate, aut si non sit, saltem pro ipso preces ad DEUM fundamus: præterea ut gaudeamus, si quid boni ipsi accidit; ut indoleamus ipsius malis, & velut nostra consideremus; ut sentiamus ipsius dolores, & misérias sublevemus; ut ipsi subveniamus in necessitatibus, solatium afferamus in afflictionibus, assistamus consiliò in dubiis; ut ipsum reducamus à suis erroribus; ut ipsius peccata deploremus, & aliquod pœnitentiæ opus pro ipso suscipiamus, nôsque etiam aliquoties victimam Divinæ Justitiæ pro ipso offeramus, ut ita DEI misericordiam ipsi conciliemus: & hæc omnia sine ulla remunerationis spe, sed purè propter DEUM, quem unicè in proximo respicimus, & amamus. Denique charitas quandoque eò usque adigit animam, ut, exemplò Christi, pro salute proximi sacrificet omnia sua bona, valetudinem, gloriam, vitam; & omnium suorum

rum commodorum obliviscatur, eaque libenter perdat, tantum, ut fratrum suorum bona tam spiritua- lia, quam aeterna procuret, & pro- moveat.

Ecce quò usque tendat Charitas Christiana! ecce quò usque nos exemplum hominis DEI impellat! sed heu Domine! quis hoc exem- plum sequitur? quis tuis vestigiis infistit? quis sincero efficacique amore suum fratrem complecti- tur? Is ego sanè non sum. Amori proprio, qui in me regnat, non convenit cum tam pura, tamque perfecta charitate. Minus me, & magis te amare deberem, ut affe- ctu tam generoso proximum pro- sequerer, cujus exercitium tu so- lus me docere poteris, qui solus de- disti exemplum. Tu rogasti Pa- trem tuum, ut essemus inter nos charitate uniti, quemadmodum tu cum Patre tuo unitus es; potestne tibi negare hanc gratiam, si qui- dem illam efficaciter pro nobis pe-   
tas?

*Meditatio Vigesima Quarta. 287*

tas? aut poteris illam non efficaciter petere, postquam illam pro nobis tuo sanguine & hac ipsa charitate promeritus es, cujus exemplum pro nobis moriendo reliquisti?

*Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*  
Joan. c. 15.

*Qui diligit proximum, legem implevit.* Rom. c. 13.

*Si diligamus invicem, DEUS in nobis manet.* 1. Joan. c. 4.

MEDITATIO XXIV.

De Mansuetudine.

PUNCTUM I.

*Motiva ad hanc virtutem inducentia.*

CONSIDERA: Potissimum & potentissimum motivum, quod nos ad amandam & exercendam Mansuetudinem, excitare possit, quód-

quódque unicum nos afferemus, esse, exemplum JESU Christi. Ipsi hæc virtus semper in amoribus fuit: Ipse à paupertate spiritûs sive humilitate, & à mansuetudine orsus est octo beatitudines. Ipse mansuetudinem & humilitatem prima Evangelicæ doctrinæ fundamenta esse voluit. Et quamvis omnium virtutum exempla nobis præbuerit, his tamen duabus virtutibus primas dedit, voluitque, ut eas ab ipso disceremus: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. v. 29. Unde Isaias Propheta, cum nobis Messiam describere, & signum, ex quo cognosci possit, dare voluit, nullum manifestius fore judicavit, quàm ipsius mansuetudinem: non erit morosus, inquit, nec in iram præceps, nec clamabit, nec audietur vox ejus foris. Et quid aliud fuit ipsius vita, quàm perpetuum mansuetudinis archetypum?

Elegit discipulos crudos & in-

cul-

cultos, ut haberet, quod in ipso-  
rum rusticitate & inurbanâ morum  
ratione sufferret. Quantâ enim  
patientiâ ipsos supportavit? quan-  
ta mansuetudine ipsos instruxit?  
quanto moderamine & indulgen-  
tia, cum necesse erat, ipsos repre-  
hendit? Quem unquam peccato-  
rem rejecit? quem acrioribus ver-  
bis increpuit? cui sua crimina ex-  
probravit? An non positô studio  
illos quæsiuit? an non omni cum  
humanitate ipsos excepit? an non  
familiarissimè cum ipsis egit, & e-  
dit? an non protestatus est, se non  
venisse vocare justos, sed pecca-  
tores? Hac sua mansuetudine ex-  
pugnavit, & attraxit Magdalenam;  
hac miseræ hujus peccatricis ani-  
mum penitus cepit, & emollivit,  
cum ipsa vidit, se, impuritatis sen-  
tinam, à DEO omnis puritatis tanta  
cum bonitate & charitate, non tan-  
tum suscipi, sed etiam contra Pha-  
risæorû calumnias defendi. Quan-  
ta bonitate egit cum femina adul-

tera? quantâ efficaciâ ipsam protexit, & ejus accusatores repressit? Ut ipsam à morte liberaret, maluit accusari, ut minùs observans legis quàm mansuetudinis pro afflictâ peccatrice. An non commissi criminis veniam ipsi indulgit, & quidem sine minima exprobratione, contentus hac sola exhortatione: *vade, & jam amplius noli peccare!* Joan. 8. v. xi. Judas ipse, perfidus Judas, nisi cor habuisset omni caute durius, an non facile potuisset se permittere emolliri blanditijs suavissimi sui Magistri, cum ipsum & amicum appellaret, & osculô dignaretur, clarissimô utique signô, paratum se esse, ipsum recipere in gratiam ea ipsa etiam hora, qua infelicissimus mortalium ipsum prodidit?

Sed patientia & mansuetudo Servatoris nostri nunquam magis eluxit, quàm in ipsius Passione. Nunquam conquestus est, nisi semel, ut ostenderet, se nec sensu

*Meditatio Vigesima Quarta.* 291

carere, nec moderatione in sua querimonia. Quod reliquum est, omnes calumnias, omnes injurias, & gravissimas plagas, quibus ultra modum excarnificatus fuit, tantâ modestiâ & silentiô tulit, ut ad ipsum pertinere vix viderentur. Verum quidem est: ipsum plenior te nonnihil voce exclamâsse in cruce; minimè autem, ut contra inimicorum & carnificum suorum crudelitatem, justas effunderet querelas, aut vindictam peteret; sed ut pro ipsis veniam rogaret, & quod omnem superat admirationem, ipsos etiam coram Cœlesti suo Patre defendere, & excusare posset.

Nunquam tamen, amantissime JESU, magis apparuit patientia & mansuetudo tua, quàm cum me post tot ingrati animi notas tam diu sustinuisi. Quis illam pluris aestimare, & magis amare debet quàm ego, qui illius tam præclarum exemplum & testimonium sum? sed

quî melius possum gratum testari  
 animum, quàm illam imitando? &  
 quomodo illam imitari non pos-  
 sum post tam illustria, quæ mihi  
 dedisti, specimina? quomodo il-  
 lam exercere non debeo, si tuus  
 esse discipulus, & tuo animari spi-  
 ritu volo, cum tu declaraveris,  
 spiritum mansuetudinis tuum esse  
 verum spiritum? Veruntamen,  
 Domine, tu solus, qui dixisti: *di-  
 scite à me quia mitis sum.* Matth.  
 II. V. 29. potes nos docere tam ad-  
 mirabilem lectionem, diffunden-  
 do in cordibus nostris dulcedinem  
 spiritûs tui & unctiorem Divinæ  
 gratiæ tuæ.

## PUNCTUM II.

### *De Praxi hujus Virtutis.*

**C**onsidera: Mansuetudinem esse  
 virtutem, quæ moderatur,  
 & reprimit iram. Est autem ira  
 motus, qui se elevat in anima, ut  
 ma-

*Meditatio Vigesima Quarta.* 293

malum, quod illam aggreditur, vel offendit, repellat. Si illam aggreditur tantum, quia adversatur rationi, iste motus vocatur indignatio. Si autem illam offendit præcisè, quia adoritur DEUM, appellatur zelus. Quod si illam offendant, quia invadit, & lædit animam ipsam, nominatur dolor sive sensus animi, & desiderium vindictæ. Gubernandis his tribus motibus occupatur mansuetudo, modò tamen diversò. Primum dirigit, alterum moderatur, tertium penitus opprimit, & elidit.

Dirigit primum, id est, motum indignationis, ne degeneret in acerbiteriam animi: & cum hic motus non tam cor, quàm rationem & intellectum tangat; si ratio dicet, ut se commoveat, mansuetudo impedit, ne se inflammet; si una suadet carpere & culpæ defectus, altera facit, ut parcatur personis; si illa ex ore reprehensiones elicit, hæc agit, ut sint moderatæ

& sine aculeo , ut potius indicent  
rectitudinem animi rationabilis ,  
qui malum non approbet , quàm  
genium morosum & criticum , qui  
nihil sufferre possit.

Moderatur zelum , quia timet,  
ne in impetum erumpat , & nimio  
fervore peccet. Ita tamen exces-  
sum tollit , ut robur & energiam  
conservet ; si enim necessitas , de-  
fectus corrigi , aut etiam puniri ,  
exigat , ita mollit objurgationem ,  
& temperat pœnam , ut qui incre-  
patur , videat , nisi libenter cœcu-  
riat , charitatem loqui & agere ,  
non iræ impetum , nec se , sed su-  
os defectus plecti. Demum illa  
sæpe tacet , & dissimulat , præsertim  
si advertat , remedia jam non esse  
opportuna , sed potius exacerbare  
vulnus , quàm sanent. Correctio-  
nem proinde differt in aliud tem-  
pus , donec culpæ reus in eum re-  
digatur statum , qui medicinæ lo-  
cum præbeat.

Denique mansuetudo penitus  
op.

opprimit motum, qui in anima excitatur, cum nos ipsi offendimur, & omnem animi amaritiam ac vindictæ cupiditatem suffocat. Nec tantum cohibet, & refrænat desiderium vindictæ, quod naturæ justum videtur; sed ne quidem sustinet, ut cor teporem aut averfionem concipiat. Nec hoc satis: illa ne quidem minimum acerbius verbum elabi finit, quo aut conceptum doloris sensum quis prodatur, aut offendentis personam perstringat. Quin ne hinc quidem fistit: sunt nonnulli ita mites & mansueti, ut de illatis sibi injuriis non querantur; gratum tamen ipsis est, si aliis innotescat, quàm iniquè secum agatur. Erunt etiam ita moderati, ut nihil mali de suis inimicis loquantur; à secreto tamen & maligno beneplacito se tueri non poterunt, si alii id faciant: satis habebunt virtutis, ut injuriam non compensent injuriâ, nec malum reddant pro malo; sed tantum non

habeant, ut quærant, & amplectantur occasiones bene merende de sibi malè affectis. Ipsorum quidem conspectum non vitabunt; sed tamen eâ non excipient benevolentiam, qua exceperissent, si non fuissent offensi. Hæc mansuetudo est imperfecta, & sæpe tantum partus temperamenti, aut respectus humani, vel honestatis alicujus naturalis, vel etiam Politicæ ad genium Mundi compositæ: cum è contrario mansuetudo, ad exemplum JESU Christi, veluti ad justam formam, efformata, hos omnes defectus è medio tollat, & hujusmodi motus non satis subactos penitus compescat.

Illi, qui vero Christianæ mansuetudinis spiritu animati sunt, non oderunt, sed amant suos inimicos: non quærunt vindictam, sed, quæ possunt, bona ipsis optant, & procurant. Respondent placidè & suaviter ipsorum cavillis, contemptum modestè ferunt, & injurias  
be-

beneficiis remunerantur. Consilium Christi ad literam implent : percutienti unam, præbent & alteram maxillam, & auferenti palium, relinquunt etiam tunicam. Nunquam credunt, sibi injuriam inferri ; quia mansuetudo, quæ humilitati velut fundamento innititur, eamque perpetuum comitem habet, ipsis penitus persuadet, nullam esse injuriam, nullam contumeliam, quam suis peccatis promeriti non sint, atque ita jure sibi deberi contemptum & omne convitium. Quin persecutores tene-  
rè complectuntur velut benefactores, quorum beneficiò sua debita expungere, & Divinæ Justitiæ satisfacere possint, atque ita similes reddi suo Servatori, contumeliis, opprobriis, & injuriis, supra quàm dici potest, dilacerato.

Ecce, quò usque tendat Christiana mansuetudo ! sed quàm rara est, quàmque ignota inter Christianos ! quàm vix ullo exercitio

usurpata! Non est, nisi verus Christianus, qui illam possideat; & qui illam non habet, Christianus non est. Tu solus es, Domine, qui tuô nobis exemplô illam demonstrâsti: tu solus nobis poteris suppeditare vires, quibus illam imitemur. Has à te peto, Domine, quia hoc ipso exemplo, quod mihi dedisti, promeritus es mihi gratiam illam imitandi.

*Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11.

*In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luc. 21.

*Mansuetis dabit gratiam* Proverb. 3.

## CONSIDERAT. VIII.

*De cura, qua quis affectum in se dominantem, sive vitium particulare expugnare debet.*

I. PAUCI sunt, quibus non aliquis affectus, sive vitium aliquod par-

particulare dominetur; ex quo velut ex fonte defectus plerique, quos committunt, vel certè majores promanant. Etiam qui vitam religiosam & moderatam ducunt, non sunt inde exempti. Et hic affectus dominans præcipuum ponit obstaculum ipsorum salutis & perfectioni, quam DEUS intendebat.

II. Permagni interest, ut dominans hæc affectio bene cognoscatur: quia uniuscujusque plurimum refert, ut, si se salvum cupit, illam omni studiò oppugnet; nec enim oppugnari poterit, nisi cognoscatur. Sed perquam difficile est in ejus notitiam pervenire: nisi enim nos in defectus valde notabiles propellat, facilè se ita celat, ut non sentiatur; & si jam profundas in nobis radices egerit, plerunque excæcat, & impedit, ne videamus errores, quibus nos implicuit, aut certè ne satis advertamus ad mala, quæ inde sequuntur.

III. Nullum tempus aptius est cognoscendo dominanti huic vitio, quam quod sacro recessui dāmus. 1. Quia multitudo & molestia negotiorum tunc non ita dissipat animum, & strepentium circa nos creaturarum tumultus non ita obtundit visum & auditum, ut non videamus, & intelligamus affectionum intra nos pugnantium strepitum & perniciosam licentiam. 2. Necessitas, inspiciendi nosmet ipsos, quam sanctum hoc exercitium nobis imponit, & frequentia examina, quibus nos excutimus, facile ostendunt, quo loco maximè debiles, & insidiantium hostium oppugnationi obnoxii sumus. Difficile enim videtur, ut, qui conscientiam suam seriò perscrutatur, & diligenti examine in peccata sua inquirat, quò illa generali Confessione expiet (quæ plerunque hoc tempore fieri solet) non possit præcipuum defectuum suorum fontem detegere. Deinde

de DEUS ipse, ut vim, quam hac à creatis omnibus separatione nobis ipsis inferimus, remuneretur, mentem nostram irradiat, ut vitium, quod nostræ salutis potissimum obicem ponit, deprehendamus.

IV. Quia pauci sunt, qui uno tantum vitio dominante laborent, & qui, factâ inquisitione, non plura detegant, quæ simul omnia, uno impetu, minus fortiter & inutili successu oppugnarentur; ideo consultum omnino est, ut regulas electionis, nuper à nobis explicatas, adhibeamus, quibus unum eligamus, cum quo congrediamur. Securior enim longè & facilius est cum uno hoste pugna, atque certior victoria, quia bellum fortiùs inferitur.

V. Dux igitur vel tres proponendæ sunt periculosiores animi affectiones, quas deprehendisti potentiùs cordi tuo dominari; & exordiô à prima captô, videndum, quinam sint perniciosi illius partus,

tus , quæque mala ex illa oriri possint : quod facile assequeris , si observes , in quas cogitationes , in quæ verba , in quæ opera , in quos defectus te agere soleat , cum respectu DEI & tuorum Superiorum , tum respectu æqualium , inferiorum , & tui ipsius ; omnibus enim tuis actionibus , omnibus cogitationibus & consiliis se immiscet . Oportet insuper explorare , quam in te potestatem jam sibi comparaverit malus iste habitus : quod colligere licebit ex longitudine temporis , quo te infestat , ex frequentia insultuum , ex augmento virium , ex efficacia , aut inutilitate mediolorum , quæ ad illum destruendum applicasti , ex occasionibus , in quibus te abripi passus es , ex consortio illorum , cum quibus vixisti , ex officiis & muneribus , quibus functus es .

VI. Consideranda etiam pericula sunt , in quæ te dominans hæc animi affectio conjicere potest :

non

non in genere tantum, sed reflexa ad te ipsum singulari indagine, & ad tuum temperamentum, ad tuas inclinationes, ad tuam ætatem, ad tuum statum, ad tuum officium, ad occasiones, in quibus te offensæ Divinæ exponunt. Hæc autem pericula facile te eò devolvent, ut aut gratiam DEI perdas, aut curam salutis tuæ negligenter geras, aut Divinæ de tuo profectu dispositioni resistas, aut nunquam ad gradum perfectionis à DEO tibi præfixum enitaris, aut DEI, suæ per te gloriæ procurandæ, consilium eludas.

VII. Facto in hunc modum examine de primo malitioso habitu, aut perniciofa animi affectione, & notatis defectibus, in quos te præcipitat; malis effectibus, quos in te progignit; periculis, quibus te objicit, gressum ad secundam & tertiam perversam affectionem, movebis. Quibus inter se comparatis, facile cognosces, quænam sit  
il-

illa, quæ te ad plures majoresque defectus committendos impellit, quæque plura post se mala trahit, & in qua reprimenda majorem tu repugnantiam sentis. Contra hanc tibi vel maximè infurgendum, pugnandumque erit, præsertim si advertas ex illa, velut ex suo fonte, reliqua vitia, quæ in te regnant, profluere.

VIII. Cognita ita dominante passione, accingere te quamprimum debes ad illam omnibus viribus expugnandam, perinde ac si nullam aliam debellandam haberes: quapropter diligenter prospicies de mediis necessariis; quibus fideliter & constanter utaris, cum inde dependeat totius pugnae successus. Duo autem sunt mediiorum genera: alia universalia, particularia alia.

IX. Media generalia sunt, præsentia DEI, meditatio, oratio, sacra lectio, preces jaculatoriæ, examen conscientia, usus Sacramen-

mentorū , opera misericordiæ ,  
sui domandi studium. Appellan-  
tur generalia , quia ad extirpanda  
omnia vitia , & ad comparandas  
virtutes omnes sunt idonea. Fiunt  
tamen aliquo modo particularia ,  
dum ad expugnandum certum vi-  
tium , aut acquirendam virtutem  
certam applicantur. Sic itaque ac-  
cipitur pro sacra lectione aliquis  
Tractatus , qui naturam vitii , quod  
quis evellere , aut virtutis , quam  
quis sibi comparare desiderat , uti  
& apta ad hanc inferendam , & il-  
lud eradicandum media oculis &  
menti probè subjiciat. Eundem  
ad scopum diriguntur meditatio-  
nes , orationes , preces jaculato-  
riæ , piæ aspirationes , omnia bona  
opera , omnes corporis afflictatio-  
nes , & denique examen conscien-  
tiæ , in quo singulariter ad hujus-  
modi defectus attenditur , de iis  
concepitur dolor magis vivus ac se-  
rius , in juncta etiam rigidiorè pæ-  
na.

X. Media particularia sunt. 1. Exercitium actuum internorum virtutis, vitio illi, quod expugnare conaris, contrariæ. Ut autem hi actus efficaces fiant, necesse est, eos frequentes & fervidos esse, ac semper dirigi ad extirpationem vitii, quod subactum cupis. 2. Exercitium actuum exteriorum hujus ipsius Virtutis. Multum etiam isti profunt ad exercendam cum facilitate virtutem; quia violentia ipsa, quam in illorum exercitio nobis inferimus, attrahit necessariam nobis DEI gratiam. 3. Exacta notitia vitii, quod invadimus, & virtutis oppositæ. Hæc notitia acquiritur ex lectione boni Auctoris, qui de illo tractat, & consideratione illorum, quæ in hoc conflictu accidere solent. 4. Cura magna prævidendi tempore matutino occasiones omnes, quæ nobis occurrere, & causa lapsus esse possunt, ut ita prævenire valeamus. 5. Fidele & diligens studium faciendi

exa-

examen particulare eo modo ,  
quem in secunda Consideratione  
explicavimus.

XI. Unum ex præstantissimis  
motivis particularibus est , ut quis  
quot mensibus diem seligat , quo  
statum suum internū examinet , &  
videat , quem progressum hauserit  
in oppugnatione vitii , quod supe-  
rare , & exercitio virtutis , quam sibi  
conciliare intendit. En metho-  
dum , quæ observari poterit. 1. Ve-  
speri præparabis te visitando SS.  
Sacramentum , & exercendo ali-  
quem Pœnitentiæ actum. 2. Manè  
meditaberis de virtute , quam asse-  
qui cupis , aut quæ vitio , quod op-  
primere cogitas , maximè repu-  
gnat ; & in hac ipsa meditatione  
recoles breviter motiva præcipua ,  
quæ te impellere poterunt ad fugi-  
endum hoc vitium , aut exercen-  
dam hanc virtutem , & vel maximè  
ad obedientiam præstandam in spi-  
rationibus Divinis , quas in exer-  
citio hujus virtutis DEUS immittit ,  
ut

ut nos magis magisque animet.

XII. Post meditationem una alterave horâ scrutaberis cor tuum, & videbis 1. Utrum fervor ille, quo hanc pugnam auspicatus es, non nihil intepuerit: an verò antiquum desiderium, acquirendæ hujus virtutis adhuc in te sentias; cum ab efficacia hujus desiderii totius conflictûs dependeat successus. 2. Examinabis te primò, qua fidelitate usus sis mediis generalibus, percurrendo unum post alterum: deinde quomodo adhibueris media particularia, præcipuè examen particulare, & exercitium actuum tam interiorum quàm exteriorum: denique indagabis in defectus principales, quos commisisti, quosque annotare debuisti, & quanta facilitate in illos prolapsus sis. 3. Unam hebdomadam comparabis cum altera, ut de tuo progressu ferre judicium possis. 4. Si te profecisse advertes, gratias ages DEO, & te ipsum hoc profe-

Et

etu excitabis, ut majori non fer-  
 vore progrediaris, sequendo fide-  
 liter DEI gratiam, quæ te urget. 5.  
 Quod si deprehendas, retrocessisse  
 te, non despondebis animum, sed  
 tibi, tuæque industriæ, & mediis  
 diffides, & coniecta in DEUM om-  
 ni fiducia, debita cum humilitate  
 ipsius gratiam instanter implora-  
 bis, & in originem hujus cuncta-  
 tionis inquires, ut tempestivè ma-  
 lo mederi possis. Tum novo fer-  
 vore, perinde ac si nunc inciperes,  
 pugnam restaurabis, & in SS. Sa-  
 cramento adorabis Dominum, i-  
 psûmque precaberis, ut pium tu-  
 um propositum approbet, & con-  
 firmet.

## LECTIO

### Pro Octavo Die.

Ex S. Script. Cap. XLII. Isa. & Cap. III.  
 ad Coloss.

De Imit. Christi. Cap. IX. & XIX. Lib. III.  
 Ex

Ex Duce Peccat. Lud. Granat. Cap. XVI. &  
XVII. Lib. III.

Ex P. Rodriq. Cap. XI. Tract. III. Part. I.  
Cap. XI. & XII. Tract. de Fraternali  
Charit. Part. I. & Cap. X. Tract. I.  
Part. III.



DIES

tut  
ad  
& f  
no  
ta p  
fide  
pfo  
& a  
illa  
Tro  
Pass  
I  
que  
S  
—  
M  
D  
Pe

DIES NONUS.

DE PASSIONE

D. N. IESV CHRISTI.

Postquam statuimus servire Deo, & virtutem amplecti, applicandus est animus ad cruce & persecutiones. Visis igitur & spectatis Domini nostri exemplis, quæ nobis in sua tam privata quàm publica vita præbuit, proponere nunc ipsum, & considerare debemus in sua Passione, ut ab ipso discamus virtutes, quas inter ærumnas & afflictiones exercere necesse est, quòque illas animo excipere & sufferre oporteat. Tres proinde Meditationes de ipsius SS. Passione dabimus.

Prima erit de Passione in genere, ejusque adjunctis.

Secunda de doloribus internis.

Tertia de externis.

---

MEDITATIO XXV.

De Passione in genere,  
ejusque circumstantiis,

Per modum Parabolæ explicatis.

PUN.

## PUNCTUM I.

*Parabola S. Bernardi de Pas-  
sione D. N.*

**I**Maginare tibi : miserabile man-  
cipium , facta in vitam Regis  
conspiratione , læsæ Majestatis re-  
um , ad crudelissimum & maximè  
infame mortis supplicium , esse  
condemnatum : Principem verò  
Regni hæredem , commiseratio-  
nis affectu tactum , se ad Parentis  
pedes abjecisse , & reo veniam pe-  
tuisse ; cùm autem nihil obtinere  
posset , obtulisse se ad subeunda illa  
ipsa tormenta , quibus infelix par-  
ricida adjudicatus fuerat. Pater  
admisit conditionem : sed filius  
non contentus , se in locum &  
tormenta latronis suffectum , e-  
tiam obtinuit , ut abominabilis iste  
servus in Regni hæreditate sibi suc-  
cederet.

Imaginare tibi ulterius : amabi-  
lem hunc & generosum Principem  
magnò

magnò gaudiò subiisse supplicium,  
ut sua morte testari posset ingen-  
tem amorem, quo in sceleratissi-  
mum hunc homuncionem flagra-  
bat; neque aliud in tanti beneficii  
memoriam petuisse, quàm ut vi-  
cissim se amaret. Quid nunc di-  
ceres, si infamis iste proditor non  
tantum morte generosi huj<sup>9</sup> Prin-  
cipis, summi sui benefactoris, non  
commoveretur, sed etiam torto-  
ribus & carnificum turmæ se immi-  
sceret, ut acceleraret mortem, &  
tormenta ac supplicium augeret?  
An non hunc talem belluinum &  
omnium hominum efferatissimum  
pronuntiares? Sed ecce! istud  
ipsum est, quod Filio DEI in  
sua Passione accidit, quemadmo-  
dum clarè ex applicatione  
hujus Parabolæ ap-  
parebit.

✠ (†) ✠

O

PUN-

## PUNCTUM II.

*Applicatio hujus Parabola ad  
circumstantias Passionis  
Christi.*

CONSIDERA 1. Quis sit iste Princeps, cujus Parabola meminit? est Christus JESUS Filius DEI vivi & æterni; imò ipsemet DEUS vivus & æternus. Quis est iste nefandus Parricida, nisi tu, qui fuisti, & fortè etiamnum es miserabile Dæmonis & peccati mancipium? qui te rebellem DEO tuo, & læsæ Majestatis reum fecisti?

CONSIDERA 2. Quid Christus JESUS pro te toleret? injurias gravissimas, tormenta horrenda, & mortem non minùs crudelem quàm infamem, id est, mortem Crucis.

CONSIDERA 3. Quomodo sufferrat? sponte & liberè. Videt, se iram Patris sui, justissimè contra te irritatam, placare, & te infinitis

*Meditatio Vigesima Quinta.* 315

pœnis, quas meritus es, eximere non posse, nisi ipse illas in se suscipiat; igitur ex toto corde se Patri suo in tui locum offert: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. c. 53. v. 7.

Considera 4. Quem in finem se offerat? Ut peccata, non sua, quæ ipse Sanctus Sanctorum committere non potuit, sed aliena, sed tua expiet: & quod omnem excedit admirationem, ut expiet crimina, quibus ipsemet fuit offensus, & quæ plectendi jus & facultas ipsi erat. Cùmque potuisset unicâ guttâ satisfacere, omnem sanguinem effudit, ut ostenderet magnitudinem mali ex remedii gravitate, & excessu tolerationum testaretur excessum amoris.

Considera 5. Quanto cum ardore desideraverit pati? *Desideriò,* inquit ipse de se ipso, *desideravi manducare hoc Pascha vobiscum.* Luca c. 22. v. 15. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usquedum perficiatur.* Luca c. 12.

v. 50. Ardentissimum patiendi desiderium prævertit crudelitatem hostium, & in horto Oliveti per dolores internos anticipavit tormenta carnificum: tantum tamen abfuit ab omni de suis cruciatibus querela, ut illos etiam cum gaudio sustineret, quòd sciret, ipsos nobis fore utilissimos, & ita suum in nos amorem testari, ut etiam nostrum sibi conciliare possint.

Considera 6. A quibus non malis ipse nos suis doloribus liberaverit? Non a rota & patibulo, non à morte temporali & defluente; sed ab ira & odio sui Patris, sed à morte perpetua, sed ab igne æterno, nostris sceleribus debito. Et cum à tantis malis nos exemerit, quæ non bona nobis comparavit? Si ipse voluit occupare locum nostrum in suppliciis, voluit, ut nos suum occuparemus in Throno, quia, procuratâ nobis Patris sui amicitia, jus etiam certum nobis acquisivit ad Regnum Æternum.

Con-

Confidera 7. Quid pro his omnibus à nobis exigat? Si à nobis peteret, ut ipsi facrificaremus omnia nostra bona, omnia commoda, sanitatem, delicias, gloriam nostram, & propriam vitam, an quid nimium peteret? an peteret aliquid, quod in comparationem venire posset cum illo, quod ipse nobis dedit? Nihil autem horum postulat. Modicum quid amoris petit; ut sui, suorumque dolorum, quos pro nobis tulit, frequenter recordemur, petit. Amantissime Servator! an non nobis injuriosum est, tantillum te petere pro tantis, quæ pro nobis & fecisti, & tulisti? Possumne hoc ego tibi negare sine turpissima ingrati animi nota? Possumne te non amare? Possumne te adhuc offendere, & me ad jungere tuis tortoribus, ut dolores & vulnera tua refricem? Ita, Domine, possum, atque etiam, quod impossibile videbatur, re ipsa præstiti; postquam prodigiò inau-

ditô, & quod inter homines exemplum non habet nisi respectu DEI, non tantum tuis beneficiis non respondi nisi per injurias, sed etiam, si ita liceat loqui, magnitudinem tuæ bonitatis & misericordiæ perfidiâ meâ & ingrati animi labe propè æquavi. Ah! Domine, miserere mei, & ne respicias enormem hanc infidelitatem! Quod nunc te rogo, est, ut aut præ dolore moriar, aut in continuo dolore vivam, quòd tam parùm amaverim DEUM, qui mei amore mortuus est.

*Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan. 15.*

*Si non dilexisset inimicos, nondum possideret amicos. S. Bernard.*

*Si totum me debeo pro me factò, quid addam pro me refectò, & quidem tali modò? S. Bernard.*

MEDITATIO XXVI.

De doloribus internis  
JESU Christi in sua Passione.

PUNCTUM I.

*De statu, ad quem dolor redu-  
xit animam JESU Christi.*

CONSIDERA : Quàm miserabilis  
fuerit status, ad quem redu-  
ctus est Filius DEI in horto Olive-  
ti. Rabies hostium Redemptoris,  
& licitorum crudelitas non potue-  
runt extinguere sitim, qua arde-  
bat pro gloria DEI & hominum sa-  
lute pati. Voluit etiam præter do-  
lores, quos tolerabat in corpore,  
sustinere intus & in corde crucia-  
tus, qui tantum superarent illos,  
quos carnifices inferebant, quan-  
tum ipsius amor furori eorum præ-  
celluit.

In hunc effectum i. interrupit  
commercium, quod via naturali

intercedere debebat partem inter  
superiorem & inferiorem, ut ita  
nullum ab una ad alteram transfret  
folatium. Fecit igitur in se ipso  
stupendum hoc miraculum ille,  
qui tot aliis miraculis impedivit,  
ne Martyres omnem tormento-  
rum suorum rigorem sentirent. 2.  
Phantasiæ & imaginationi suæ in-  
dulgit, ut vivacissima imagine om-  
nem tormentorum Passionis suæ  
vim, magnitudinem, & iniquita-  
tem sibi repræsentaret. Præterea 3.  
inhibuit omnes illos animi affe-  
ctus, qui potuissent ipsi robur ad-  
dere, quo in tam lugubri statu su-  
stineretur, & illos tantum agere  
permisit, qui ipsum affligere po-  
terant, ut sunt timor, tædium, tri-  
stitia, mœror, pavor. Ita nos do-  
cet Evangelium, cùm dicit: coepit  
tædere, pavere, & tristis esse, &  
denique etiam in agoniam prolabi.

Timor indicat formidinem ma-  
lorum futurorum, quæ ipsius ima-  
ginatio viva, & metu perculsa,  
tan-

tantâ vehementiâ objecit, ac si jam præsentia essent; adeo amor jam tum coëgit ipsum in corde pati, quod postea debebat sustinere in corpore. Ita est, mi JESU, voluisti particeps esse meæ fragilitatis, ut me participem redderes tuæ fortitudinis, & per hanc ipsam imbecillitatem mihi ostendere, quàm fortis sit tuus pro me amor.

Tædium facit nos cognoscere statum derelictionis, in quo tum Filius DEI erat, cum nullû penitus à quoquam hominû caperet solatium, ne quidem à fidelioribus suis Discipulis, quibus hoc ipsum conquestus est, quando ipsis dixit: *tristis est anima mea usque ad mortem*; Marci c. 14. v. 34. & vos me dereliquistis in tam miserabili statu constitutum.

Tristitia indicat languorem & animi dejectionem, in quam ipsum obligatio conjecit, quam ipse sibi imposuerat sustinendi mala tam horrenda. Agonia denique ex-  
O 5 pri-

primit pugnam, quæ tum in anima Filii DEI inter partem superiorem & inferiorem, inter naturalem patiendi repugnantiam & submissionem suæ voluntatis in Divinam intercesserat. Pugna tam crudelis, ut JESUS succubuerit, & in terram prolapsus, sudore sanguineo totus immaduerit, qui passim ex omnibus corporis membris proruperat.

Quos concipis sensus, anima mea, ad visum stupendi hujus spectaculi? Metire excessum amoris tui JESU per excessum doloris, quo ipsum oppressum vides. O amor! cur tantum potes in cor DEI, & tam parum in cor hominis? Potuisti ex toto corpore mei JESU guttas sanguineas exprimere; & nondum potuisti vel unicam poenitentiae lacrimam ex oculis meis, aut suspirium aliquod ex corde meo elicere.

P U N.

## PUNCTUM II.

### *De causis hujus doloris.*

**C**ONsidera : primam hujus timoris & horrendæ tristitiæ , quæ cor Christi, ut ita loquar , penitus absorpsit , causam fuisse numerum & iniquitatem tormentorum & opprobriorum , quæ subire & sustinere debuit , & quæ imaginatio cum omnibus , etiam maxime affligentibus , adjunctis ipsi representavit , ita ut ne minimum quid imminueret , aut celaret. Secunda fuit proditio Judæ , Discipulorum perfidia , & populi Judaïci reprobatio , cui ipsius Passio , quæ reliquorum hominum salutem operari debebat , aliquo modo incipiebat sigillum apprimere pro Deïcidio , quod jam jam in ipsius Personâ Judæi essent commissuri. Tertia hujus doloris causa fuit multitudo abominabilium criminum , quæ erant partim jam tum perpe-

O 6

tra-

trata, partim deinceps perpetranda, tuorum præfertim; quorum aspectus mirum in modum lancinabat pectus amantissimi JESU. 1. Ob pudorem, quo naturaliter suffundi debebat Sanctus Sanctorum, cum se oneratum videret tot iniquitatibus, & ob maximam difficultatem, quam sentiebat considerando, immani hac scelerum sarcina totum iræ Patris Æterni pondus in suum dorsum jactari. 2. Quia necessitas, cui ipse se submitit, satisfaciendi Justitiæ Divinæ pro nostris peccatis, illa quodammodo ita ipsi fecit, reddiditque propria, ut obligatus fuerit de illis concipere dolorem ex quadam parte infinitum, qui nempe responderet multitudini & gravitati peccatorum, quibus se oneravit; excellentiæ cognitionis, qua illorum enormitatem agnovit; & excessui amoris, quo Patrem Cœlestem & genus humanum complectebatur: ita ut tristitia Redemptoris nostri in hor-  
to

to Oliveti longè transgressa sit omnes tristitias & dolores omnium, etiam miserrimorum & ærumnosissimorum hominum, quos cogitatione fingere possumus.

Ecce statum, quò te peccata mea reduxerunt, dulcissime JESU! ecce amaritudinem, cui detestabilis voluptas, quæ me tam blando furore abripuit, cor tuum immerfit! Unica gutta dulcedinis, quæ antè in corde Christi residebat, effusa, in flammis & tormenta inferni, mutasset illum in Paradisum; & unum solum peccatum potest cor JESU, hunc paradisum, hanc deliciarum sedem, in quandam inferni speciem vertere!

O Peccatum! crudele peccatum! potesne mihi adhuc placere? possumne tibi adhuc aditum aperire ad cor meum? an non potius mihi moriendum est præ dolore, quòd te aliquando admiserim? Sed tuum est, Domine, hunc mihi dolorem immittere. Non peto magna

illa lumina, insignia illa solatia, favores illos singulares, quos animis sanctis indulges; tantum peto partem infiniti illius doloris, quem de peccatis meis concepisti; peto, ut vel unicam guttam ex torrente amaritudinis, qui cor tuum inundavit, in cor meum stillare finas; ut, cum peccata mea totius sanguinis mei effusione, quemadmodum tu fecisti, eluere non possim, saltem ita affligar, ut illa perpetuo meis lacrimis abluam.

*Attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus. Lament. c. 1.*

*Magna est velut mare contritio tua. Lament. c. 2.*

*Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Isa. c. 53.*

## MEDITATIO XXVII.

De doloribus externis  
JESU Christi in sua Pas-  
sione.

PUN.

## PUNCTUM I.

### *De tormentis Christi in sua Passione.*

**C**ONSIDERA : Prophetam meritò  
Christum appellâsse *virum  
dolorum*, Isaïæ c. 53. v. 3. cùm nul-  
lus unquam hominum fuerit, qui  
plura, quàm ipse, passus sit.

1. Ob multitudinem tormento-  
rum, quæ sustinuit, nulla penitus  
corporis parte à singulari suo  
cruciatu immuni relicta. Ma-  
nus & pedes ipsius clavîs fuerunt  
cruci affixi : caput spinis pertere-  
bratum : vultus sputis & cola-  
phis obrutus : corpus totum sexies  
mille virgarum ictibus dilacera-  
tum, ita ut merum vulnus dici po-  
tuisset : omnes denique sensus sin-  
gulari quisque tormentò fuerunt  
excarnificati.

2. Ob delicatam ipsius comple-  
xionem, quæ, ut optimè efforma-  
ta, ita ad quosvis doloris sensus  
per-

perquam erat tenera; præsertim quia sacratissimum ipsius corpus, jam antè sudore sanguineo penitus exhaustum fuerat.

3. Ob continuitatem tormentorum, cùm ne quidem momentum quietis ipsi relinqueretur ab exordio suæ passionis usque ad epilogum.

4. Ob diversa tormentorum genera ipsi inflicta; ingeniosa enim lictorum crudelitas semper nova excogitavit, ut fuit spinea coronatio; aut ordinaria novo furore exasperavit: ita ut, nisi Filius DEI Divina virtute fuisset conservatus, vel sub sola verberum tempestate exspirâisset. Sed reservari voluit, ut in Cruce mori posset, in qua omnes ipsius dolores, plagæ, & vulnera renovata sunt. Concussione enim crucis, cùm erigeretur, & pondere ac commotione corporis, manuum pedumque cruciatus immanem in modum exacerbati sunt: ita ut dolores refricarentur,  
ubi

*Meditatio Vigesima Septima.* 329

ubi sustentationis modicum saltem solatium reperire debuisset.

Ah ! anima mea , credisne hæc omnia ? Potésne de his cogitare , & simul memoriâ repetere , DEUM fuisse , qui tot & tanta mala tui causâ exantlavit , quin aut dolore aut amore conficiaris ? Si homo , si mancipium , si creaturarum omnium postrema centesimam eorum partem pro te tolerâisset , quæ DEUS tulit ; non posses , quin illam amares , quin gratum animum testareris , quin aliquem proderes commiserantis animi affectum , quin quandoque diceres : infelix iste me amavit , nec tam miserabilis esset , nisi me amâisset. Et ad testimonium amoris DEI , pro te crucifixi & mortui , habebis tam obtusos omnis humanitatis sensus , ut illud nullâ aliâ , quàm frigidi ingratiq̃ue animi , notâ compenses ? Quæ est ista durities , quæ stupiditas ? Cor humanum potéstne ad tam turpem excessum devolvi ?

Ah

Ah Domine! vel maximè potest, quod etiam nimis frequenter palam faciet, nisi hic ipse amor, qui te pro illo tot & tam horrendis subjecit tormentis, te adigat, ut ipsius duritiem emollias, & glaciem dissolvas, atque ita capax reddas, quò & dolores tuos nonnihil sentiat, & amorem tuum suscipiat. Heu! quid mihi proderit, tanta te pro me tulisse, quàm ut magis indurefcam, & criminofior evadam, nisi vehementer tangor, nisi me gratum demonstro, nisi majori te amore complector?

Verùm quo meliori modo ego meum in te amorem testari potero, quàm eo, quo tu in me tuum demonstrasti? Amor, quem in me conceperas, fecit, ut magno ardore tormenta subires, atque etiam in illis suavitatem agnosceres; & amor, quo ego in te feror, tantùm non poterit, ut adversa me doceat, non dicam, cum fervore quaerere, & in illis delicias reponere,  
quod

*Meditatio Vigesima Septima.* 331

quod vel maximè deberem, sed saltem illa submissè excipere, & crucem, quam tua Providentia mihi imponet, patienter ferre? Ah Domine! si crucem non amo, id fit, quia te non amo. Fac igitur, ut incipiam à faciliori, quod est amare te, & desinam in difficiliori, quod est amplecti & amare crucem propter te.

## PUNCTUM II.

*De opprobriis Redemptoris in sua Passione.*

CONSIDERA : Illum ipsum Prophetam, qui vocavit Servatorem nostrum, *virum dolorum*, appellare ipsum etiam *novissimum virorum*, Isa. c. 33. v. 3. id est, ultimum & contemptissimum omnium hominum: & alium testari, fatiandum opprobriis: *Saturabitur opprobriis.* Thren. 3. v. 30.

1. Captus est in horto Oliveti ut  
Latro; oneratus catenis & ligatus  
ut

ut sceleratus; raptus & tractus per easdem plateas & compita, per quæ paulò antè Judæi ipsum velut Messiam & Regem in Israël triumphabundi deduxerant. 2. In hoc miserabili statu ductus est ad Caiapham, ubi ut insolens, colapho cæsus; ut blasphemator, consputus; ut scurra, exagitatus; & à vilissima satellitum fæce, integra nocte, mille ludibriis iniquissimè habitus fuit. 3. Ab Herode fuit tractatus ut stultus & mentis inops. Deinde ut ignavum mancipium flagellis exceptus; Barabbæ homini nequissimo, velut illo deterior, postpositus. Denique ad mortem ignominiosissimam condemnatus, inter duos latrones medius, tanquam utroque sceleratior, ex infami trabe pependit, & quidem totus nudus, ac spectante infinita propè hominum multitudine, qui ex omni parte Jerosolymas confluxerant, Pascha celebraturi.

Sed hæc opprobria ab adjunctis,  
 quæ

*Meditatio Vigesima Septima.* 333

quæ ipsa comitabantur, plurimum incrementi ceperunt. Primò enim in summa omnium æstimatione erat; habebatur pro homine prorsus admirabili, pro magno Propheeta, pro altero Elia, pro ipsomet Messia. Quæ, obsecro, mutatio? Secundò. Has ignominias perpeffus est quatruiduo, postquam triumphantis instar Jerusalem ingressus fuerat inter festivas populi acclamationes & plausus, quos nunc, mutatâ repenti scenâ, in summum contemptum verterunt. Tertiò. Licet intra populum plures fuerint, qui miraculorum ipsius testes esse poterant, imò illi ipsi, in quorum commodum illa patrauerat, nullus tamen omnium fuit, qui se pro ipso & pro ipsius causa declararet, qui se opponeret iniquissimæ electioni, qua Barabbas ipsi prælatus fuit. Quartò. A contemptu ad horrorem & execrationem usque profilierunt. Illi ipsi, qui paulò antè festa conclamatione in-

to-

tonabant : *Hosanna Filio David*,  
 nunc, velut œstrô perciti, commu-  
 ni omnes voce clamant : *crucifi-*  
*gatur*. Denique, quod omnem  
 transcendit admirationem, ita ab  
 omnibus fuit derelictus, ut etiam  
 à charissimis suis amicis, & fidelis-  
 simis discipulis desereretur; alie-  
 nim aufugerunt, quidam ipsum  
 prodiderunt, alii negârunt, & mi-  
 seros se judicârunt, si crederentur  
 aliquo modo ad ipsum pertinere.  
 Potuitne ignominia Christo illata  
 ulterius progredi?

Esne tu, ô Rex gloriæ! quem vi-  
 deo opprobriis & ignominis coo-  
 pertum? Esne tu, DEUS Majesta-  
 tis, coram quo, profundissimo cum  
 respectu, Seraphini se prosternunt!  
 quem video tam protervè, & info-  
 lenter à vilissimis terræ vermibus  
 tractatum? Esne tu, æterni Patris  
 delictum! qui factus es horror &  
 execratio tuarum creaturarum?  
 Quis te igitur ad tam miseram &  
 abjectam conditionem reduxit?

Tu-

*Meditatio Vigesima Septima.* 335

Tuus, ô anima mea, JESUS docere te voluit, quanti sit pretii gloria Cœlestis sui Patris, & quò usque enitendum fit, ut illa reparetur. Ille tibi demonstrare voluit, sui submissionem infallibile esse medium promovendæ DEI gloriæ, quæ nunquam altiùs evecta fuit, quam cum unicus Æterni Patris Filius visus est ipsi humilitatis abyssò penitus immerfus. Sed, Divine Servator, hanc lectionem superbus & vanus meus spiritus nec concipere poterit, nec discere volet; & hoc ipsum magnum confusionis argumentum mihi esse debet, quòd in animum non inducam, ut amem humilitatem, à te tantopere amatam, & quæ sola me tibi similem, tuòque amore dignum reddere potest. Certè tanto amore complecterer humilitatem, quanto mundani prosequuntur gloriam, si ita te diligerem, ut ipsi Mundum diligunt. Non est, Domine, nisi tu, qui possis efficere, ut eam amem.

mem. Hanc à te gratiam peto, velut certam tui in me amoris teferam, & maximum, quod à te consequi possum, beneficium.

*Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. 2. Cor. 5.*

*Patet arcanum cordis per foramina corporis. S. Bernard.*

*Non possum vivere sine vulnere, cum te video vulneratum. S. Bernard.*

*Amor meus crucifixus est. S. Ignat.*

## CONSIDERATIO IX.

*De statu, & conditione cuiusque hominis.*

**L** Amplexusne es hunc statum & conditionem, quam tenes, vocante te illuc DEO? Confu-  
lu-

luisse illum, antequam te huic vitæ generi addiceres? An fortuito, & ex beneplacito tuo, aut naturæ impetu eò convolâsti potius, quàm ita gratiâ aut ratione suadente? si ita, utere regulis electionis, quibus reformes hanc electionem, si quidem status tuus adhuc mutari possit: quòd si jam firmus fixusque sit, adhibe illas tamen, ut saltem per moderamen melioris vitæ repares, & emendes commissum tuæ electionis errorem.

II. Si causam habeas credendi, te à Deo ad hunc statum fuisse vocatum, excute nonnihil animum tuum, & examina, an mens tua tum fuerit ab omni alio motivo pura & libera; an verò vocationi Divinæ scopum alium aut respectum humanum immiscueris? an non ambitio, proprium commodum, desiderium suavis amœnæque vitæ, magnam sibi partem vindicent? Si id deprehendas, pete à Deo veniam, & emunda, id quod

P

puri-

puritatem motivi læsit.

III. Quo studio exerces munus tuum? qua diligentia fungeris tuò officiò? Intuerisne te velut vices gerentem DEI? Ipsius gloria estne principalis tuus finis, & prima regula? Si matrimoniò junctus es, atque ita obligatus, ut rebus tuis invigiles, familiæ prospicias, & filiorum utilitatem promoveas; facisne hoc potius ex avaritia aut ambitione, an ex ordine Divinæ providentiæ, quæ, quia te ad hunc statum deduxit, petit, ut omni cura & sollicitudine exequaris omnia, quæ ille exigit?

IV. Inter multiplices statûs tui curas, quibus distineris, advertisne, negotiorum omnium maximum esse, procurare æternam salutem? Dirigisne ad hunc finem reliqua omnia, quæ agis? aut saltem alia negotia, justo ordine, huic substernis? an potius, hoc neglecto, aliis omnem operam impendis? Intelligisne, hoc unicum nego-

negotium esse absolutè necessarium, nec te debere aliis, quantumvis tuo vel publico bono utilissimis, unquam ita occupari, quin tempus superfit, quod huic tribuas, cum sit præcipuum, imò unicum negotium, quia negotium æternæ salutis?

V. An non nimiam curam & anxietate te applicas negotiis tuo statui propriis? Conare sequi consilium S. Ignatii, & res tuas tantam diligentiam & contentione age, ac si omnia à te solo dependerent; quibus tamen confectis, diffide ita tuæ industriæ, ac si omnia tantum à DEO dependerent, cujus Providentiæ te totum, rerumque omnium successum committe. Oportet autem prudenter discernere, quidnam in negotiis dependeat à te, & quid non; ut in uno possis fortiter agere, in altero autem te submittere Providentiæ Divinæ.

VI. An non incidis in defectus contrarios, & nimis negligenter

mensuram muneris tui imples? Horror laboris & amor commoditatum an non faciunt, ut illud cum fastidio & tædio exequaris, aut omnino evites ob vanos & frigidos prætextus? Nunquam perfectè res tuas ages, nisi cum voluptate agas: nunquam autem cum voluptate debitum tuum præstabis, nisi muneris tui sustinendi sis capax. Quapropter omni cura evitendum erit, ut ad id te idoneum reddas. Quòd si hoc assequi non possis, tenèris illud omnino dimittere.

VII. Nullumne te tædium subit, quod te officii tui pertæsum reddat? Non cupis illud mutare aut ex inconstantia, aut ex fastidio, aut ex ambitione, aut ex falso zelo? An non similis es inquieto illi decumbentium ægrorum generi, qui semper situm illum credunt esse incommodissimum, quo jacent, & idcirco identidem mutare, & moveri in alium volunt, nec tamen melius habent? Id tibi penitus

tus persuade, perfectionem nostram non consistere semper in eo, ut bonum operemur, quod nobis maximum & eminentissimum videtur: sed quod nostræ conditioni & nostro officio melius convenit. Decipimur, si volumus esse sancti non eo, qui DEO, sed qui nobis placet, modo. Non, quem nos perfectissimum judicamus, est etiam melior pro nobis, sed ille status, in quo nos DEUS constituit, & in quo nos vult esse.

VIII. Si, quas observes, certas habes officii tui regulas, gerisne curam, ut illas perspectas habeas? In dubiis rectene illas observas? Consultisne DEUM, & lumen ab ipso petis? Sequerisne dictamen tuæ conscientiæ, & praxim illorum, qui boni probique habentur? An non promptiori studiô ad illa opera incumbis, quæ supererogatoria appellamus, quia illustriora sunt, & plus honoris & existimationis conciliant, quàm ad illa, ad quæ ob-

ligaris, quia magis sunt humilia,  
obscura, & communia?

IX. Quis geris te in executione  
tui officii erga tuos Superiores, à  
quibus dependes? solésne in ipsis,  
debita cum submissione & fidelita-  
te, respicere Christum, cujus lo-  
cum tenent? Qua honestate, mo-  
deratione, & animi æquitate exhi-  
bes te tuis æqualibus? Qua man-  
suetudine, qua charitate, quo ze-  
lo, quaque benignitate uteris erga  
tuos inferiores? Cogitásne, illos  
tuos esse fratres, quia Christianos,  
& consequenter tuos in hoc æqua-  
les, & fortè coram DEO etiam ma-  
jores & meliores, quia humiliores  
& pluribus virtutibus exornatos.

## LECTIO

### Pro Nono Die.

Ex S. Script. Cap. LIII. Isa. aliquot Capita  
ex Evang. de Passione D. N. J. C.  
De Imit. Christi Cap. XI. & XII. Lib. II.  
Ex Memoriali Lud. Granat. aliquot Artic-  
ulos Lib. VI. de Passione Christi.  
Ex P. Rodriq. Cap. III. & VIII. Tract. VII.  
Part. II.

*Meditatio Vigesima Octava. 343*

**DIES DECIMUS.  
DE VITA GLORIO-  
SA IESU CHRISTI.**

**Et**

*De fine Exercitiorum.*

---

**MEDITAT. XXVIII.**  
**De Resurrectione IESU**  
**Christi.**

**PUNCTUM I.**

*Resurrectio IESU Christi  
spem nobis prabet resurrectionis ad  
gloriam, & viam nobis ostendit  
ad illam perveniendi.*

**C**onsidera I. Resurrectionem  
Domini nostri basim ac funda-  
mentum esse spei illius, quam de  
futura resurrectione ad gloriam  
habemus. Huc usque IESUS Chri-  
stus Dux noster nos per viam dif-  
ficilem, arduam, & delicatæ natu-  
ræ nostræ valde contrariam dedu-

xit; siquidem nos præcessit per viam humilitatis, paupertatis, mortificationis, obedientiæ, crucis, & denique ipsius etiam mortis. Sed terminus, ad quem nos per asperum hunc tramitem ducit, magno nobis esse debet solatio, cum abundantissimè compenset omnem laborem, quo eò eluctati sumus. Hic enim terminus alius non est, quam resurrectio ad vitam infinite gloriosam, & æternam beatam. Transfer te, animò saltem, ad sepulchrum nostri Redemptoris, & postquam memoriâ recolueris omnia, quæ pro nobis passus est; postquam consideraveris miserabilem statum, in quem mors ipsius corpus redegit, contemplare repentinam mutationem, quam resurrectio induxit. Vide, quomodo ille, qui abjectus, & opprobriis saturatus erat, nunc sit coopertus gloriâ, & Rex Gentium ac Dominus universorum, constitutus; quomodo ille, qui tormentorum

eru-

crudelitate ita fuerat deformatus, ut ne figura quidem hominis amplius in ipso appareret, jam nunc pulchritudine, & claritate Solem ipsum millies præcellat; quomodo de ipsius vulneribus nihil amplius superfit, quàm cicatrices, miro splendore radiantes, veluti lucidissima ipsius Victoriæ monumenta; quomodo denique omnes ipsius dolores transferint in lætitiā & gaudia nunquam finiendā.

Cum igitur gratulatus fueris tuo Servatori ob tam felicem & stupendam metamorphosim, gratulare etiam tibi ipsi ob eandem causam; quia Resurrectio Christi est fundamentum spei tuæ, & certum pignus felicitatis, qua particeps efficieris ipsius gloriæ. Christus enim in sua resurrectione est Redemptor tuus, & Caput tuum. Si Redemptor est, perfectè ac integrè hoc fungetur officio, teque redimet abundantī redemptione, ut loquitur Apostolus; cum secun-

dus Adam non minùs possit pro  
 nostra salute, quàm primus potue-  
 rit in nostram perniciem. Sicut i-  
 gitur primus non solùm maligni-  
 tatem suì veneni transfudit in ani-  
 mam, dum illam peccatò suò infe-  
 cit, sed etiam in corpus, illud mor-  
 ti subjiciendo: ita secundus Adam  
 non tantùm liberabit animam no-  
 stram à peccato, recuperando ipsi  
 vitam & gratiam, sed etiam corpus  
 nostrum à morte, illud resuscitan-  
 do ad vitam gloriosam. Si est no-  
 strum Caput, nos sumus ipsius  
 membra: igitur quemadmodum  
 membra capiti suo, ita & nos Chri-  
 sto unitos atque conformes esse o-  
 portet, sicque ipsius beatitudinis  
 fieri participes.

Considera II. Christum resur-  
 gendo viam nobis signâsse, quam  
 tenere oportet, ut ad gloriosam re-  
 surrectionem pertingamus. Sicut  
 enim ipse resurgere non potuit,  
 nisi prius pateretur, & moreretur:  
*Oportuit pati Christum, & ita in-  
 trare*

*trare in gloriam suam.* Luc. 24. v. 26. Ita oportet omnino, ut moriamur cum ipso, non tantum morte naturali, sed etiam supernaturali: hoc est, mori debemus nostris passionibus, nostris peccatis, nostris sensibus, & mollioris vitæ desideriiis. Nam, ut Apostolus docet, si volumus cum Christo resurgere, debemus cum Christo mori peccato, & pravis nostris inclinationibus: nec enim erimus membra JESU Christi gloriosi, si non prius fuerimus membra ejusdem patientis & crucifixi. Vis cognoscere, an partem habeamus hujus vitæ gloriosæ? percurre Mysteria vitæ Christi absconditæ, & inter dolores atque cruciatus exactæ, quam in sacris Exercitiis meditatus es. Si participasti, aut saltem participare desiderasti vitam JESU, exinanitam in Incarnatione, pauperem in Nativitate, afflictam in Circumcisione, subditam in Nazareth, & denique crucifixam in Passione;

crede certò , te quoque participem fore vitæ ipsius gloriosè resurgentis. Sed si unum non habes, stultum erit alterum prætere.

Agnosco, prò dolor ! me esse adhuc longè remotum à statu tam beatæ mortis. Agnosco , hominem veterem , id est, corruptum, etiamnum totum in me vivere. Ut moriatur , tuum est , Domine , efficere. Scis enim , amorem proprium me nimis reddere debilem, cum contra me ipsum pugnandum est. Tuum igitur est, Domine , me adjuvare; tuum est ictum mortis mihi infligere , qui pro me erit ictus gratiæ , quia me tibi vivere faciet, hoc est, vitam novam vivere, simulque spem addet vivendi tecum aliquando vitam gloriosam.

## PUNCTUM II.

*Resurrectio ad gloriam forma est nostræ resurrectionis ad vitam novam.*

CONSIDERA: non sine justo pondere

dere & ratione asseruisse Apostolum, Christum surrexisse propter justificationem nostram; non tantum quia ipsius resurrectio est causa, sed etiam quia est forma nostrae justificationis, & quod consequens est, nostrae ad vitam resurrectionis. Atque ideo nos commonet, quod, sicut Christus surrexit ad vitam gloriosam, ita nos debemus ducere vitam novam: *Quomodo Christus surrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitae ambulemus.* ad Rom. 6. v. 4. Corpus Christi per resurrectionem quatuor dotes acquisivit, quae mirum in modum exprimunt illas, quae vitam novam comitantur. Haec quatuor dotes sunt impassibilitas, claritas, agilitas, & subtilitas.

Impassibilitas, quae Christum, JESUM reddidit invulnerabilem, & ab omni tolerantia & dolore immunem, mirè explicat felicem illam animi firmitatem, omnibus, quae in vita humana accidere so-

lent, superiorem; tranquillitatem illam spiritûs prorsus imperturbabilem; & pacem illam cordis admirabilem; quæ, ut Apostolus dicit, *exuperat omnem sensum.* ad Phil. 4. v. 7. etiam intellectum nostrum, & quæ nascitur ex generosa oppressione, qua immoderata domantur desideria, & ex perfecta submissione, qua non solum pars inferior superiori, sed etiam superior voluntati Divinæ subicitur.

Claritas, qua Corpus Christi ipsos etiam Solis radios splendore superat, pulchrè depingit abundantiam illam luminum supernaturalium, quæ intellectum animæ, vitam novam agentis, illustrant, & plenitudinem illam donorum Spiritûs Sancti, qui habitat in ipsa; donum scientiæ, quo DEUM in omnibus creaturis respicit; donum intelligentiæ, quo mira facilitate & perspicaciâ mysteria obscurissima & maximè sublimia penetrat; denique donum sapientiæ, quo supra  
omne

*Meditatio Vigesima Octava.* 351

omne, quod creatum & sensibus  
obvium est, ita elevatur, ut DEUM  
in se ipso intueatur, & viva simul  
ac sapida cognitione cognoscat,  
qua non minus cor perstringitur,  
ac spiritus illuminatur.

Agilitas nobis exprimit prom-  
ptitudinem & fervorem, quo ani-  
ma, quæ vitam novam vivit, im-  
pellitur ad executionem mandato-  
rum DEI, ad praxim bonorum o-  
perum, ad exercitium virtutum,  
ad omne id, quod credit posse pla-  
cere DEO, ipsiusque gloriam pro-  
movere: ita ut, quàm primùm  
advertit, DEUM aliquid velle, nul-  
latenus deliberet, nec ad occurren-  
tes attendat difficultates; sed om-  
nia ipsi videantur plana & facilia,  
quando agitur de implenda DEI  
voluntate, ejusque beneplacito.

Subtilitas, quæ omnem velut  
crassitiem à corporibus gloriosis  
abstergit, facitque apta ad pene-  
trandum sine ulla resistantia quod-  
vis corpus, quantumvis durissi-  
mum

mum & spississimum, optimè designat separationem, quam vita nova causat in anima, ipsam extollendo supra materiam, & totam spiritualem efficiendo ac independentem à sensibus, quos refrænât, minúsque obnoxiam illis imaginibus, quas res sensibus objectæ in illorum corde efformare solent, qui vitam ducunt communem. Hæc est illa vita nova tam admiranda, quæ est fructus mortis spiritualis ac supernaturalis; quæ debet esse finis hujus sacri Secesûs; quæ debet esse meta nostrorum laborum; & quæ, cum fit viva expressio vitæ gloriosæ JESU Christi, est etiam pignus, quod nos de ea securos reddit, & unica via, quæ nos ad illam deducit.

*Si commortui sumus, & convivemus 2. Tim. 2.*

*Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Rom. 6.*

MEDITATIO XXIX.

De Ascensione J. C.

PUNCTUM I.

*Christus terram relinquens ,  
nos impellit, ut nos quoque ab illa  
separemus.*

CONSIDERA: Myſterium Ascen-  
ſionis eſſe myſterium ſepara-  
tionis: nam Filius DEI, cùm, reli-  
ctâ terrâ, in Cœlum aſcenderet,  
ſuô nos exemplô invitavit, ut eam  
deſereremus, & cor noſtrum om-  
nino ab illa abſtraheremus. Hæc  
eſt perfectâ illa ſeparatio à rebus  
terrenis, quam ſpiritus Evangelii  
& natura Chriſtianismi operatur;  
cùm enim gratia, quæ nos Chri-  
ſtianos efficit, ſit gratia ſeparatio-  
nis, in ipſa ſtatim Baptiſmi ſuſce-  
ptione nos obligat, ut omnibus  
mundi vanitatibus renuntiemus.  
Hæc eſt prima veritas, quam Ser-  
vator noſter nos docere voluit,  
cùm paupertatem ſpiritûs doctri-  
næ

nae suae fundamentum posuit.

Hoc est, quod adhuc efficacius nobis inculcavit suo exemplo, quando vitam egit in tanta bonorum huius Mundi penuria, ut, teste ipsemet, locum non haberet, in quem se reciperet. Quamvis matrem suam tenerrimè amaret, quibusdam tamen in occasionibus ipsam modo fat indifferenti tractavit, ne nimum ipsi videretur addictus, aut ne caro & sanguis censerentur partem occupare sanctissimi amoris, quo in ipsam ferebatur. Licet affectus, quo ipsum Discipuli complectebantur, non potuerit, ut quidem videtur, esse nimius & immoderatus, nihilominus amor paulò naturalior, quo erga ipsius sacratissimam humanitatem afficiebantur, obstaculum fuit, ne Spiritus Sanctus super eos descenderet. Unde Christus ipsemet illis edixit, nisi in Cælum migraret, subtractaque ipsis suâ præsentiâ, defecatiorem redderet af-

fectum, quo in suam humanitatem ferebantur, nunquam ipsos Spiritum Sanctum recepturos.

Hinc est igitur, quòd beati Apostoli, qui hanc doctrinam à suo Magistro hauserant, erantque ipsius spiritui pleni, nihil æquè Fidelibus prædicarint, quàm perfectam hanc separationem. Hinc est, quòd S. Petrus nos tanta cum efficacia hortetur, ut terram velut locum peregrinationis habeamus, & nos extraneos & viatores existimemus. Viator, quæcunque ipsi in via occurrunt, indifferenter respicit: si reperiat locum quieti commodum, non ibi hæret: si sit incommodus, non summopere affligitur, nec cogitat quidquam reparare, aut in meliorem ordinem redigere. In hoc solum est intentus, ut iter suum versus terminum & charam suam patriam prosequatur. Hæc S. Apostoli comparatio præclarè nobis exhibet dispositiones veri Christiani, & spiritum  
sepa-

separationis, in quo vivere debet. Hinc etiam dixit S. Paulus, quòd non aliter Mundum consideret, quàm terram peregrinam. Hinc denique Fideles toties adhortatur idem Apóstolus, ut inter divitias ac voluptates ea cordis libertate vivant, quasi illis penitus non fruerentur, & hoc Mundo utantur, quasi non uterentur; quia, ut ipsemet addit, præterit figura hujus Mundi. Hæc vita igitur à nobis perinde ac transitus habenda est. Ita nempe Christus ipse docuit, ita Evangelium monet, ita sancti omnes opere ipso attestantur.

Sed, mi DEUS, quàm parùm huc usque hanc doctrinam didici! quàm parùm secutus sum! quàm procul absui ab hoc spiritu separationis! quàm procul igitur discessi etiam à spiritu JESU Christi! Ita terræ adhæsi, ac si æternim in illa manendum esset. Ita bonis hujus Mundi perituris me affixi, ac si nunquam essent finienda; & quod miser-

miserrimum est, mira cœcitate in loco exilii patriam meam constitui, & carcerem meum, quantumvis obscurum, durum, ac miserabilem, libertati & felicitati prætuli, quæ me in domo Patris mei præstolabatur. Meritus fuisset, Domine, ut, ob hanc voluntariam & detestabilem cœcitatem, me penitus desereres: sed spero, hanc ipsam Misericordiam, qua effecisti, ut miseriam meam agnoscerem, gratiam mihi concessuram, qua ab ipsa liberer.

## PUNCTUM II.

*IESVS Christus ascendens in Cœlum nos invitat, ut ipsum sequamur.*

**C**onsidera: cum cor nostrum Cesse non possit, quin alicujus rei amore occupetur, si Redemptor noster suô nos exemplô compellit, ut terram despiciamus, id ideo fieri, ut omnem affectum nostrum Cœlo affigamus. Hæc est  
illa

illa aquila, quæ sese in Cœlum vibrans, provocat ad parem volatum pullos suos: sicut *aquila provocans ad volandum pullos suos.* Deuter. 32. v. 11. Væ nobis, si humi etiamnum repamus, postquam vidimus, cælos conscendere Caput & Ducem nostrum, nōsque amanter urgere ad imitandum corde tam præclarum exemplum, donec id etiam ipso opere præstemus. Illuc ergo cogitationes & desideria efferre, illuc continuò aspirare debemus, si quidem amore Christi erga nos tangamur, & propriam salutem cordi habeamus.

Nam si amor, quo Servator nos tantopere complexus est, nos afficiat, an non meritò nosmet ipsos miserrimos judicare debemus, si nos ab ipso separatos intueamur? an non summis votis desiderare debemus, ut ipsi veluti Divino nostro Capiti uniamur, postquam id felicitatis nobis accidit, ut ipsius membra sinus? an non statum se-  
pera-

parationis ut violentum respicere debemus, & omnem adhibere conatum, ut rumpamus vincula, quæ nos terræ alligant, & quæ nos à possessione JESU Christi impediunt, in quo solo summam & supremam nostram felicitatem reperire possumus? Felices, si sentire possemus vim sancti ardoris fortunati illius Pœnitentis, qui constitutus in loco, unde Christus in Cœlum ascendit, repente exspiravit ob violentiam desiderii quamprimum sequendi Divinum suum Magistrum.

Verùm fieri potest, ut, si quidem nos ipsos non penitus neglectos velimus, tam parùm afficiamur spe tanti boni, quod nos in Cœlo exspectat? fieri, inquam, potest, ut tam parùm excitemur, ac si summa illa felicitas ad nos nihil pertineret, aut si res illæ magnæ, quæ nobis de illa dicuntur, nihil nisi meræ fabulæ essent? Potestne fieri, ut non continuo suspiremus  
ex

ex hoc miserabili exilio, in quo sumus, ad charam illam Patriam, in qua reperiemus tot amicos sincerè dilectos, tot illustres Apostolos, tot invincibiles Martyres, tot generosos Confessores; qui, cum aliquando fuerint nostri in Christo JESU patres, nunc nos volunt habere fratres, & socios æternæ suæ felicitatis, ad quam nos invitant suis desiderijs & precibus, ut illà cum ipsis fruamur; & quam ut mereremur, ipsi suis antehac exemplis nos excitârunt?

Nostra ad hæc stupiditas haud dubiè ex nostra cœcitate nascitur, & languor nostræ spei non aliunde, quàm ex debilitate nostræ fidei, oritur; aut enim tepidè credimus felicitatem illam, quæ nos expectat, aut ejus magnitudinem non satis concipimus. Quo ardore, quo animi æstu aspiraremus ad veram illam felicitatem, si penitus essemus persuasi, illam esse terminum Misericordiæ & Liberalitatis

Divi-

Divinæ, extremum Omnipotentia  
conatum, & admirabile infinitæ  
Sapientia inventum, denique bea-  
titudinem Sanctorum esse DEUM  
ipsum? Ita omnino: in Cælo per-  
petua nostra occupatio erit videre  
DEUM, amare DEUM, frui DEO, &  
latari in DEO. Cùm videbimus  
DEUM, ipsum possidebimus; cùm  
possidebimus, ipsum amabimus;  
cùm amabimus, ipso fruemur. Pos-  
sidedimus eum sine inquiete, quia  
nemo nobis ipsum auferre poterit:  
amabimus eum sine interruptione,  
quia nemo nos aut turbare, aut ab-  
strahere poterit: fruemur ipso sine  
tadio, quia semper in ipso videbi-  
mus, quod nos mirum in modum  
recreabit. Ipsum possidendo, si-  
miles ipsi erimus; ipsum amando,  
in ipsum transformabimur; ipso  
fruendo, eadem, qua ipse, felici-  
tate beati erimus. Denique DEUS  
nobis erit omnia, & in ipso omnia  
reperiemus.

Profectò si hæc omnia bene cre-  
dere-

deremus, si rectè conciperemus, talémne felicitatem negligere possemus? eóne etiam dementiæ pervenire, ut illi renuntiare, & bona peritura, vanos & umbratiles honores, voluptates fugitivas, semper breves, sæpe etiam turpes, & non tantum Christiano, sed etiam homine indignas, præferre audeamus? An non potius perpetuò de illa cogitare, & præ impatienti desiderio illam obtinendi languore contabescere deberemus? Quid? necessariò omnes cupimus esse felices, & eò tendunt omnes labores & conatus nostri: offertur, & promittitur nobis felicitas magnitudine infinita, longitudine æterna; & hanc negligamus? Quæ levitas mentis! quis animi stupor! potestne homo, ratione præditus, & sui ipsius non maximus hostis, eò delabi? Ita, Domine, ego eò usque delapsus sum, cujus nunc me maximè pudet & poenitet, & licèt ob meum tantæ felicitatis ignavum pro-

prorsus neglectum, me illâ indignum reddiderim, spero tamen, te mihi inspiraturum deinceps ardens illâ aliquando fruendi desiderium, & mihi quoque suppeditaturum media, quibus illam mereri possim.

*Quae sursum sunt, querite, ubi Christus est in dextra DEI sedens. Coloss. 3.*

*Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum? concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Psal. 83.*

*Qui non gemit ut peregrinus, non gaudebit ut Civis. S. Aug.*

## MEDITATIO XXX.

### De Amore DEI.

S. Ignatius conclusit sua Exercitia Meditatione de amore DEI, quem vocat amorem spirituales, ut ostendat, illum non consistere in quodam sensibili gustu, sed in puritate motuum animæ. Et sanè merito ita concludit, quia propositum ipsi erat animam eò deducere, ut & sibi & peccato

cato penitus moreretur, atque ita vitam novam & omnino Coelestem auspicaretur; cum scopus Exercitiorum non debeat esse alius, quam perfecta cum Deo unio, quam non nisi ipsum ex toto corde amando assequemur.

## PUNCTUM I.

Præ lud. I. Constituamus nos in præsentia Dei, Beatissimæ Virginis, Sancti Angeli nostri Custodis, & omnium Sanctorum, præcipuè illorum, qui majori Deum amore prosecuti sunt, aut quibus nos speciali affectione sumus addicti.

Præ lud. II. Petamus à Deo gratiam cognoscendi bene numerum & magnitudinem beneficiorum, quæ ab ipso accepimus, ut ita nos excitare possimus ad ipsum ex toto corde amandum, & ad nos nostraque omnia ipsi integrè consecrandum.

**C**onfidera igitur, quanta poteris attentione, multitudinem beneficiorum, quibus DEUS te cumulavit. Ille te amavit ab æterno, cum nihil adhuc tui esset, quod ipsum ad tui amorem allicere posset. Aut enim te respexit in nihilo naturæ; & tum nihil tui adhuc erat, quod  
amore

amore dignum esset: aut te respexit in nihilo gratiæ, communi filiorum Adam massæ involutum, & ipsius hæredem peccati; & sic in te nihil erat, quod non odio dignum esset. Nihilominus tamen te amavit, repertis in se solo & in suâ bonitate te amandi motivis. Verum proinde est, DEUM, quàm diu DEUS fuit, nunquam cessasse te amare, & de te cogitare. Heu! tanto jam tempore in Mundo vivis, & tam parùm de DEO cogitasti, & fortè etiam nondum ipsum amare cœpisti! Hic DEI erga te amor minimè fuit sterilis aut otiosus; sed eò collimavit primò, ut in tempore tibi Redemptorem mitteret, qui te ex funesto peccati statu eriperet; deinde, ut te crearet, applicaturus tibi merita hujus Redemptoris.

Expende jam studiosè hoc Redemptionis beneficium. Considera, quomodo DEUS Filium suum proprium miserit in Mundum, ut te salvum redderet; quomodo hic

Homo-DEUS à primo vitæ suæ exordio usque ad mortem, juxta Patris sui mandatum, & sui in te amoris impulsus, totum se tibi tuæque saluti consecraverit, nihilque nisi propter te operatus sit. Carnem assumpsit propter te, in Mundum natus est propter te; nihil egit, nihil locutus est, nihil tulit nisi propter te; denique nec vixit, nec mortuus est nisi propter te: adeo ut noluerit superesse vel unicam sanguinis guttam in venis suis, quia totum volebat effundere propter te. Considera principaliter, quòd Cœlesti Patri suo pro te nominatim obtulerit pretium sanguinis sui, & licet pro omnibus hominibus mortuus sit, tamen te elegerit præ infinita Infidelium multitudine, qui nunquam fructum ex Sanctissima ejus morte capient, rogaveritque Patrem suum, ut merita Passionis suæ quodam speciali modo tibi applicarentur: tu verò vi hujus intercessionis, quæ utique  
fin.

singularis ipsius in te amoris sincerissimum fuit argumentum, vocatus sis ad Religionem Christianam præ tot Infidelibus, & ad Religionem Catholicam præ tot Hæreticis, qui damnabuntur, quia tam infelices fuerunt, ut in errore nascerentur.

Animò deinde tecum recole omnes gratias particulares, quas in vita tua à DEO accepisti. Recognosce mille specialis circa te Providentiæ Divinæ specimina. Illa à te avertit tot pericula, quæ pro tempore & æternitate funesta tibi & exitiosa fuissent. Illa te præservavit à peccato, aut à peccati occasione, aut certè non permisit, si quidem contra ipsius inspirationes in aliquam te coniecisti, ut in illa perires, quemadmodum pluribus aliis accidit, qui, tametsi minùs culpabiles quàm tu, irreparabili suò damnò nunc scopus esse coguntur æternæ vindictæ, cùm interim tu sis argumentum immensæ ipsius

misericiordiæ. Si infertus es statui Religioso, recogita admirabiles Divinæ Providentiæ industrias, quibus te ad illum deduxit; & fanè deprehendes mille paternæ ipsius erga te bonitatis effecta.

Postquam hæc & plura alia beneficia ita ponderâsti, conare omni studiô excitare cor tuum ad amorem & ad gratam memoriam erga DEUM summum tuum Benefactorem; & ut hoc re ipsa testeris, te ipsum DEO offeres, & dices: Accipe, Domine, meam libertatem: ego tibi offero animam meam, corpus meum, memoriam meam, intellectum meum, & voluntatē meam: quidquid habeo vel possideo, id à te habeo; id tibi ex toto corde restituo, & intra manus tuas integrè depono: nihil penitus retinebo, quod tuo servitio non impendam, ut ita meum in te amorem demonstrarem. Da mihi tantum, Domine, sanctam tuam gratiam, & satis sum dives.

## PUNCTUM II.

**C**ONSIDERA: DEUM his beneficiis, quibus se ipsum tibi quodammodo dedit, non contentum, se adhuc quotidie tibi dare in suis creaturis, quibus esse, vitam, & omnes, quas habent, perfectiones communicavit. Assuesce igitur, DEUM intueri in creaturis, siquidem in eis re vera est, & quod sequitur, dum suas tibi creaturas dat, etiam se ipsum dat. Ille in primis est in suis creaturis per suam essentiam, quæ magis ipsarum naturæ inest, quàm anima tua tuo corpori. Inest illis per suam potentiam, quia non tantum ipsis dat virtutem agendi, sed ipse plus agit, quàm illæ ipsæ, cum agat ut causa principalis; ita ut DEUS te magis illuminet cum Sole, quàm Sol ipse; magis te calefaciat cum igne, quàm ignis ipse; magis te nutriat cum cibus, quàm cibi ipsi. Denique illis inest per suam bonitatem &

Q5

pro-

providentiam , illas gubernando & applicando ad tua servitia , dirigendo illarum actiones ad te & propter te. Si igitur lumen accendit in Sole , id facit , ut te irradiet; si calorem inferit igni , id fit , ut te calefaciat; si saporem largitur cibis , id évenit , ut te nutriant.

Ex his tribus modis, quibus DEUS inest omnibus rebus , tres deduces conclusiones. 1. SI DEUS tibi se præsentem reddit in omnibus creaturis , tu igitur conari debes te ipsi quoque præsentem reddere in omnibus creaturis , illum in eis intuendo & quærendo. 2. Uti nunquam debes his creaturis nisi ad gloriam & servitium DEI , & sicut ipse non agit in illis nisi propter te , ita tu non debes agere cum illis nisi propter ipsum. 3. Si quid boni gratique experiris in operationibus creaturarum , ex. gr. pulchritudinem in luce , commodum in calore , saporem in cibis , id totum tribuendum est DEO , non crea-

creaturis, & cogitandum, te longè plus boni haurire ex illo, quàm ex istis. Atque ita animum, quàm poteris, gratissimum exhibebis ob omnia, quæ accipis, beneficia, & gratias DEO summas ages pro te, & pro tot ingratis, qui ne quidem de hoc cogitationem concipiunt. Cavendum præterea summopere erit, ne creaturis abutaris, ne te ipsis nimium affigas, aut velut instrumenta ad peccandum usurpes; esset enim turpissima ingrati animi nota, beneficia DEI in ipsius detorquere offensam. Denique has ipsas creaturas debes quandoque ipsi offerre in sacrificium, illis te privando ex ipsius amore.

*Nos ergo diligamus DEUM, quoniam ipse prior dilexit nos. i. Joan. c. 4.*

*Serò te amavi. pulchritudo tam antiqua, & tam nova, serò te amavi! S. Aug.*

*Jubes te, Domine, diligere me; da, quod jubes, & jube, quod vis. S. Aug.*

*Causa diligendi DEUM DEUS  
est, modus sine modo.*

## CONSIDERATIO X.

*De Conversatione, Visitationibus,  
& Recreationibus.*

### *De Conversatione.*

I. **N**ihil tanti est ponderis, nihilque tam difficile, quam bene recteque versari inter homines, eorumque familiari consuetudine uti. Justam dicendi causam habuit vir quidam sanctitate conspicuus: quoties inter homines fui, minor homo redii, id est, minus rationabilis & perfectus. Ita etiam S. Jacobus nos docet, quod, qui non offendit in lingua, perfectus sit vir; cum moraliter impossibile sit, multa loqui, & non multos committere defectus. Nisi tibi ipsi blandiaris, bona fide fateberis, majorem tuis confessionibus materiam suppeditari ex tuis discursibus & familiaribus colloquiis,  
&

& nulla re melius innocentiam tuam custodiri quàm silentiô.

II. Sed quia necessitas te ad aliquod hominum commercium adstringit, curandum saltem tibi erit, ut abstineas, quantum fieri poterit, ab iis congressibus, qui nihil nisi aërem mundanum spirant, in quibus vanitas & ineptiæ confabulandi materiam præbent, & plurima venduntur dictamina falsa & Evangelio contraria. Quòd si casu aut necessitate compellaris illis interesse, eleva mentem ad DEUM, & ab ipso auxilium pete. Vigila super te ipsum, nec te permitte ad vanos hujusmodi discursus abripi, ne videaris ob ignavum hominum respectum sensus parum Christianos concipere. Recipe te inde, quàm primum poteris, perinde ac si in glaciè aut præcipitio stares.

III. Nec minori cautela evitanda sunt illæ confabulationes, in quibus linguæ maledicæ triumphant, & potissimum studium in

obtrectationibus alienæ famæ ponitur; non enim minoris culpæ reus est, qui audit detractorem, quàm qui agit, siquidem libenter audiat; imò si etiam, quod plerunque accidere solet, ex ignava quadam animi socordia toleret. Si contra tuam voluntatem quandoque in ejusmodi colloquia incidas, vide, ad quid te conscientia tua obliget, ne alieni peccati participem te facias. Illi, qui alienam rodunt famam, aut sunt inferioris à te conditionis, aut æqualis, aut superioris. Si sunt inferioris, non est, cur hæreas; citò illis silentium impone. Si sunt æqualis; aut dextrè avertere discursum, aut excusare personam, cui detrahitur, debes, si quidem id prodesse existimaveris; aut certè honesto quodam civilique modo ostendere, obtrectationem tibi minimè esse gratam; aut denique omnino è circo discedere. Necessariò una ex his eligenda est via, per quam discrimen evadas.

das. Si illi, qui linguam in alterius famam stringunt, sint te superiores, frigido serióque vultu demonstrabis, fati quidem tibi esse respectus & moderaminis, ne ipsis aperte contradicas, tantum tamen non inesse ignaviae, ut, quæ dicunt, approbes.

IV. Defectus magis ordinariū familiaris confabulationis, & à quibus præcipuè cavere debes, sunt genius quidam criticus, fastidiosus, & ad jurgia promptus, qui semper aliquid reperit, quod carpat, cui refragetur, & contradicat; spiritus vanus & prophanus, qui non nisi de rebus mundanis sermonē movet & miscet, cui grave & molestum est de DEO rebusque æternis loqui.

V. Nihil est, quod æquè sæculum corrumpat, & mores frangat, quàm dicere, pro ridiculo haberi eum, qui Christianam ducere vitam satagit. Si, quam deberemus, de nostra Religione ideam concipere-

peremus, nulli nobis pudori esset de ea sermonem inferre & profequi. Si DEUM vel parùm amarem<sup>9</sup>, quid difficultatis esset de eo loqui? Fateor, semper discretionem utendum esse; sed si quis non possit de rebus Divinis sermonem inferere in circulis grandioribus, saltem id poterit in privatis congressibus cū viris honestis & virtute præditis, quos quis sibi familiares reddere debet.

### *De Visitationibus.*

I. **V**isitationes semper fieri debent aut ex necessitate, ut cū de negotiis agendum est; aut ex charitate, ut cū pauperes & ægroti adeundi sunt; aut denique ex Christiana quadam humanitate, ut cū ad cognatos, ad amicos, aut ad personas, quibus obstricti sumus, invisimus.

II. In omnibus his visitationibus certa tenenda est mensura, ne inutilem plurimorum consuetudinem

imitemur, qui magnam vitæ partem in dandis acceptandisque visitationibus terunt, & perpetuum exitam vana occupatione negotium sibi formant, parvi pendentes jacturam temporis, quod ipsis ad procurandam suam salutem concessum est, & cujus singula momenta ipsis deberent esse pretiosissima, cum nullum omnium sit, quo non æternam felicitatem lucrari possint.

III. Cum quis ad aliquem invisere vult, acturus cum illo de negotio, maximè quod gloriam DEI & bonum animarum spectet, nã is excellenti prorsus & utilissimo pietatis exercitio utetur, si se suæque consilia commendaverit Angelo Tutelari illius, cum quo tractaturus est, ut ipse animum sui Clientis dirigat, & in eosdem secum sensus inclinet. Ita facere consueverat magnus ille DEI servus P. Petrus Faber, primus S. P. Ignatii socius, qui hoc medio omnium mentes  
ex-

expugnauit & cœpit, quos ad DEUM deducere voluit; ita ut omnem in partem eos verteret, & quidquid pro ipsorum salute vellet, obtineret.

IV. Perquam utile quoque nostra colloquia & visitationes bene recteque peragendi medium est, si sequamur consilium Apostoli, & nos assuefaciamus, ut semper in proximo personam Christi intueamur. Si hac tam sancta praxi utamur, facile cavebimus defectus, & magna cum mansuetudine, charitate, & respectu cum aliis agemus. Bonum quoque erit, cor identidem ad DEUM elevare, ut ita evagationē spiritūs evitemus, in quam nos plerunque familiaris cum aliis consuetudo conjicit.

### *De Recreationibus.*

I. S. Thomas docet, animi relaxationem remedium esse à DEO infirmitati nostræ concessum. Cùm enim nec mens continuam

applicationem, nec corpus laborem aut nimis violentum aut nimis longum sustinere possit, necessariò utrique indulgenda est aliqua recreatio, ut, reparatis viribus, rursus ad studia & laborem incumbere possint. Capiendæ igitur sunt animi relaxationes ut medicinæ, id est, ex necessitate, quæ illas ex rationis præscripto moderari debet, & non ex voluptate velut sensuum oblectamenta.

II. Recreationes nunquam debent esse peccaminosæ, nec immoderatae; quæ enim major stultitia, quàm capere voluptatem ex aliqua actione, cujus, prævideas, te poenitere debere, nisi te perditum velis? aut frui oblectatione alicujus rei, quæ te æterno exitio involvet, nisi feriâ eluatur poenitentia, & cujus funestum exitum æternum deplorabis, nisi in hac vita fletu & lacrimis errorem obliteres?

III. Curandum præterea erit, ut nostræ oblectationes sint non tantum

tum non peccaminosa, sed ne quidem periculosa. Nostræ recreationes magnam partem culpâ carebunt, si nos innocentes erimus. Sed corruptio cordis nostri certum quoddam effundit venenum etiam in illa, quæ maximè innocua videntur, ut sæpe reperiamus principium mortis in illis rebus, quæ aut sustentandæ nostræ vitæ, aut sublevandæ nostræ infirmitati servire deberent. Itaque animi relaxationes etiam, in hoc censendæ sunt esse velut Medicamenta, quæ, nisi rectè præparentur, in virus degenerant.

IV. Hanc ipsam ob causam oblectamenta & recreationes nostræ non debent esse nimix, nec continuæ, etiamsi sint honestissimæ, quia emolliunt animum, & frangunt spiritum, ut se nulli rei seriò amplius impendere possit; sed horrori ipsi sit, quidquid difficile, etiam cum suscipere curam, & laborem subire deberet ad ea peragenda,

da, ad quæ nos aut officium Christiani hominis, aut nostra conditio obligat. Præterquam quòd nihil æquè repugnet doctrinæ Christi, & genio Christianismi, qui est spiritus mortificationis & pœnitentiæ, ac mollis ista & delicata vita.

V. Quia lusus primum plerumque inter recreationes locum tenet, ideò vel maximè illum moderari oportet. Ut autem bene ordinetur, necesse est, ut non sit prohibitus, quales sunt aleæ & omnes lusus aleatorii; ut non nimium temporis ipsi tribuatur; ut non fiat pro magno pretio; ut illi non simus nimis addicti, nec faciamus ex illo commercium, magis quærendo lucrum quàm animi oblectationem; & denique, ut nos non impediat à melioribus negotiis, & debita muneris nostri executione.

## LECTIO

### Pro Decimo Die.

Ex S. Script. Finem Cap. X. Deuteron.  
Cap.

382 *Admonitio pro conservando*

Cap. XIII. Epist. I. S. Pauli ad Corinthios  
De Imit. Christi Cap. VII. Lib. II. & Cap.  
V. & XXII. Lib. III.

Ex Memor. Lud. Gran. Cap. I. & II. Lib. VII.  
Ex P. Rodriq. de Perfect. Cap. VI. Tract.  
VI. Part. II.

---

## ADMONITIO

*Pro conservando fructu ex sa-  
cris Exercitiis collecto.*

**I.** Post actas Dno maximas gratias pro fa-  
voribus, quos nobis in S. Recessu indul-  
sit, offerenda sunt Christo Domino nostro  
per manus Beatissimæ Virginis omnia no-  
stra proposita, quæ fecimus, & scripto ex-  
cepimus, durante sacro hoc tempore, hanc  
rogando, ut de nostra fidelitate præstare  
vadimonium, & preces suas interponere  
dignetur, quibus gratias nobis necessarias,  
maximè autem constantiam in bonis pro-  
positis impetret.

**II.** Advertendum vel maximè est, De-  
monem, absolutis sacris Exercitiis structu-  
rum nobis solitas technas, suscitaturum  
que periculosas occasiones & varia obsta-  
cula, quibus nos avertat, ne executioni  
mandemus, quæ rectè nobis proposuimus.  
Idcirco excitandus ac firmandus est animus,

& adhibendæ omnes necessariæ cautelæ.

III. Nunquam nobis, quantumvis ad omnia bona paratis, tantum fiduciæ tribuere debemus, ut non adhuc magis diffidamus infirmitati nostræ; cum persuasum omnino nobis esse debeat, omne robur nostrum profuere à Deo, sine cujus auxilio nihil, cum cujus gratia omnia possimus.

IV. Nihil æquè nobis cordi esse debet ac prompta & continua nostri custodia, qua omnes occasiones & societates evitemus, quas experientiâ novimus nobis esse noxiæ & exitiales. Fervor ille, quo tunc animati sumus, malè prorsus nobis persuadet, nihil jam esse timeandum. Certè nihil perinde nobis suspectum esse debet atque illa nimia securitas. Considerare ergo oportet cor nostrum velut facem modò extinctâ, & etiamnum fumantem, quæ statim rursus accenditur, simul ac flammæ admoveretur.

V. Priusquam sacro Recessu excedas, ordinem vitæ tibi statues, & conditioni, & statui, & muneri tuo aptissimum; sed quem lege inviolabili observes, ubi inde pedem extuleris; cum ab hoc vel maximè pendeat omnis sacrorum Exercitiorum fructus.

VI. Præcipuò porrò studiò in hoc incumbes, ut quàm fidelissimè utaris mediis, quorum vim & virtutem, durante sacro Recessu, sensisti, & quæ cor tuum bene præ-

Præparârunt, excitatô sincerô salutis tuæ  
 procurandæ desiderîo. Hæc media sunt  
 meditationes, sacra lectio, examina, fre-  
 quens usus Sacramentorum, pia quædam  
 collectio, commercium doctorum & pro-  
 borum hominum, exercitium Dei præ-  
 sentia. Ad veram & exactam fidelitatem  
 spectat iis mediis sedulò uti, quibus perse-  
 verantia in bono, & constantia in rectè  
 propositis annexa est.

VII. Efficacissimum se intra fervorem  
 exercitiorum continendi medium est, sin-  
 gulis mensibus examinare & excutere in-  
 ternum animæ statum eo modo, quem  
 circa finem Considerationis octava an-  
 notavimus.


VIII. Si quis in defectum sat notabilem  
 labatur, non idcirco oportet statim ani-  
 mum despondere, & omnia perditâ arbi-  
 trari. Hoc Diaboli artificium est, quo  
 post commissum defectum, nos in cadum,  
 languorem, & quandam desperationis spe-  
 ciem agere nititur, ut perseverantiam ve-  
 lut rem impossibilem æstimemus, atque  
 ita à bonis nostris propositis recedamus.  
 Lapsus nostri humiles nos reddere debent,  
 non animum frangere; & si nostri diffi-  
 dentiam meritò ingerant, non tamen de-  
 bent nobis tollere fiduciam in Deum ejus-  
 que auxilium, quo subnixi, fortiores è  
 lapsu resurgere conabimur.


F I N I S.


Co  
cuz  
sunt  
fre-  
dam  
proe  
pra-  
tem  
erse-  
e ad

rem  
fin-  
e in-  
uem  
an-

ilem  
ani-  
arbi-  
quo,  
um,  
spe-  
ve-  
tque  
nus,  
ent  
liffi-  
a de-  
ejus-  
s è







Th  
4462